

Ignatius Weitenauer

‘Arminii Corona’

Tragoedia
(1758)



Jan-Wilhelm Beck
Institut für Klassische Philologie
Lehrstuhl Lateinische Philologie
Universität Regensburg
Universitätsstraße 31
93040 Regensburg
November 2007

Argumentum et Animadversiones

I. Nullus eligi heros e tota antiquitate potuit, Germanis Arminio gloriosior. hic Germanorum veterum Mars fuit, ab ipsis *Hermannus*, a Romanis *Arminius* appellatus. ab hoc heroë, uti narrat Velleius Paterculus l. 2 Rom. Hist., Romanorum *exercitus omnium fortissimus, disciplina, manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps ... ad internacionem trucidatus est.* Victoria hac reportata Arminius *liberator haud dubie Germaniae* dici meruit, teste Cornelio Tacito l. 2 Annalium, admirandus summopere, qui, ut idem pergit, *non primordia Populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacesserit.* post tanta in patriam merita, mirum non est, si praemium etiam singulare Arminius exspectavit, eius gentis principatum, quam consilio ac fortitudine conservarat. sed libertatem popularium adversam habuit, cumque coronae honorem desideraret, dolo propinquorum cecidit, septem et triginta annis vitae, duodecim potentiae expletis. Tacitus l. d.

II. Amorem favoremque spectatoris, unde miseratio potissimum nascitur, non potest non conciliare Arminio patriae amor, cui non salutem tantum, sed summam gloriam clade Romanorum peperit. tanta ea fuit, ut Cannensi parem Romani ipsi confiterentur et Arminio duce Germaniam Carthagine non inferiorem agnoscerent. nequid favoris propter ambitionis suspicionem decederet, cupiditatem regni in Arminio extenuavi sic, ut et historiae relinquatur veritas et ex heroica Arminii virtute cresceret miseratio et animorum error ac suspensio plurimum iuvaretur. motus animi teneros, praeterquam poenitentiae, nec Arminii character nec praesens negotium admittebat; eos ad Flavium Arminii fratrem, Sigimerum filium et Edelboldum reieci.

III. Marobodus rex veteris Germaniae mores et imaginem refert. etsi regno exutus, eandem constantiam et animi fortitudinem, eandem maiestatem, eandem loquendi libertatem servat, quam in solio p̄ae se ferret. Germanus ille candor, fides, gravitas auctoritatem in eo regiam etiam absque regno tuentur. cavendum tamen fuit, ne ipsi Arminio magnitudo Marobodui obstaret. discri-
men utriusque et, quanto intervallo regem heros post se relinquat, M. Varus indicat, Actus II Scena ultima, dum inquit:

*O par virorum forte, sed dispar sibi!
Vterque firmus: alter ut ferrum riget,
Indomitus, asper, inter aerumnas ferox;
Alter, adamantis more, fulgendo allicit.*

Quanto nobilior ferro, quantumvis lucidissimo, est adamas, tanto Arminius rege.

IV. Dux Chattorum Adgandestrius talis est apud me in scena, qualis olim in vita; Romae servus, Arminii proditor. perfidia hominis, invidia et crudelitas virtutem herois reddunt magis conspi-
cuam, ut umbrae in pictura lumen. deliberavi, an Adgandestrii scelus Arminii manu punirem; quod fieri iustissime poterat. sed ita malui, ut propter Arminium quidem, non tamen per Armini-
um caderet: quo dignior miseratione esset herois ruina, qui ne suntis quidem sanguinem fudisset. illustri manu plectitur, Marobodui; neque tamen hic ultiro id facit, sed praesenti necessitate coa-
ctus.

V. Longe dispar Vibilius, virtutis amantissimus et libertatis patriae studiosissimus. huius defendendae et conservanda gratia ausurum quidlibet, facile prospicias a principio: nam Actu I Scena VIII, qua primum apparet, audiente ipso Arminio, ad Flavium eius fratrem ait:

*Mihi dextra ferrum dum regit et animus manum,
Nullus Tiberius iura det, nullus Tibris,
Nullus Eques Italus liberos cogat viros.
Regina nobis una libertas praest.*

Quibus verbis cum Eques Italus perstringitur, non illi Quintilio Varo insultatur, qui cum legi-
onibus cecidit; neque enim gens Quintilia Romae equestris erat, sed inter patricias numerabatur. ipsi Arminio Vibilius malum intentat, si regnum capessere audeat; namque is, ut auctor est Velleius Paterculus, civitatis Romanae ius et equestrem gradum eo tempore consecutus erat, quo in Romanorum exercitu dicens ordines, praeclera fortitudinis documenta ediderat. hoc animo pro libertate cum esset Vibilius iamque temporis articulum praesentem videret, quo sceptrum, ut ipse quidem putabat, prehensurus Arminius esset; falsa opinione deceptus et iuvenili impetu conci-
tatus, proruit ad extrema. protinus tamen errore cognito, poenitentia facti doloreque obrutus, vi-
ctimam se ultiro ipse Arminio immolat.

VI. Propinquorum dolo cecidisse Arminium e Tacito constat. nihil esse Tragoediae aptius pot-
rat; etenim, ut optime observat Aristoteles, non tam est miserandum, ab homine alieno et inimico opprimi quam a proxime coniunctis in exitium praecipitari. itaque Adgandestrium et Vibilium, qui necem Arminio machinantur, sanctissimo affinitatis vinculo ei adstrinxí, fingens, alterum so-
rorem eius, alterum filiam in matrimonio habere.

VII. Vafrum et subdolum Tiberii Caesaris ingenium occasionem praebuit fingendi Legati, qui Adgandestrio responsum afferat, virtute et maiestate plenum; re autem ipsa odiis atque dissidiis

principes Germanos inflammet et perniciem moliatur Arminii, adeo Romae tum formidandi, ut metuerent etiam, teste Dione Cassio, ne in Italiam ipsamque urbem irrueret; et proverbii loco diceretur, cui probrum et clades optaretur, eum contra Germanos et Arminium mittendum esse. nemini porro vindicta magis cordi esse potuit, quam filio Quintilii Vari, praeter patriae damna etiam paterna clade stimulato. Legatus hic ob oculos ponit Romanam totam, cuius mores non inclinati tantum, ut Annibal tempore, sed corrupti penitus et omnibus aevi ultimi vitiis deformati, umbram duntaxat antiquae virtutis et magnitudinis exhibent. Legati fratre, Varo minore, idcirco indigui, quod Germanorum nemo esset, cui arcana Romae consilia Orator crederet; atqui ea nosse magnopere spectatorum interest. ne tamen ad solum audiendi munus adductus a me iuvenis videretur, addidi magnum illum amorem Arminii, qui ab Romano profectus, paeclarum herois existimationem auget non mediocriter. praeterea catastrophes quoque partem luculentam ad eundem detuli, ut secretum Arminii propositum de corona mox reddenda testimonio suo confirmet.

VIII. Totam Tragoediae oeconomiam ex historiae monumentis conflavi omniaque sive ex rebus gestis Arminii sive e Germanorum veterum moribus contuli. inde venenum, ab Adgandestrio Roma petitum, quo Arminius tollatur; inde responsum Tiberii, inde Marobodus regno spoliatus; reliquiae Vari eiusque legionum in saltu Teutoburgico inseptulatae; traditum iuveni scutum cum framea; annulus ferreus, odiorum testis aliaque per totam Tragoediam disseminata.

IX. Locum rebus agendis designavi, quo gloriosior Arminio nullus esset; Teutoburgensem vide-licet sylvam, e cuius arboribus Romani fasces et aquilae pendent, et affixa Romani ducis ac militum ossa trophyum efficiunt. indicia haec sunt victoriae et, ut Velleius loquitur I. 2, *atrocis-simae calamitatis, qua nulla post Crassi in Parthis damnum gravior Romanis fuit.* multa hinc occasio nascitur motuum animi, tum in Arminio sociisque, tum in Legato Romano.

X. Temporis autem ratio, si historiam sequi simpliciter libuisset, nonnihil impeditor occurrebat. Tacitus Annali secundo, ubi mortem Arminii narrat, *libertatem, inquit, popularium adversam habuit petitusque armis, cum varia fortuna certaret, dolo propinquorum cecidit.* commissum igitur praelium est nec sane brevissimum, quia dubio Marte et inter utramque aciem fluctuante fortuna. praelia haec, quae intra ipsam Tragoediam committuntur, non leve negotium poetis facessunt, sive personas sive temporis unitatem respiciamus. difficile inprimis est, invenire personas, quae cum dignitate scenam illo tempore impleant; cum personae primariae intersint plerumque certa-mini, spatium illud temporis ad secundarias fere devolvitur, summo Tragoediae periculo, ne lan-guere incipiat et inanibus verbis potius quam agendis rebus gravibus occupetur. unitas vero temporis propterea in discrimen adducitur facile, quod pugnae hae exercituum, validorum praesertim et fortium, apparatus et moras requirunt. instruenda acies, producenda tot hominum milia; praeliandum acriter et vehementer. vel si cedat hostis, tamen et fugae dandum tempus et instandum fugientibus. qui castra et conflictus norunt, rident nimurum, si poeta haec in unum veluti momen-tum condenseret; neque credunt, peragi tam celeriter potuisse, quae nisi pluribus horis explicari non solere sciunt. aequiores tamen iudices, et iuris poetici ac licentiae non ignari, haud gravate ferunt, si laxetur spatium temporis, quod inter Actus effluit. iuvant et illecebrae musicae, quibus Actus interpolari solent, ut imponi sibi patiatur auditor et, amoena fraude inductus, plures interea horas abiisse credat, dum ad alia cogitanda spectandaque animum et oculos ultro avertit. atque id sumpsero sibi nobilissimi etiam poetae tragici, iure quidem ac merito: quidni enim horarum aliquot pugnam libere interponerent, cum nihilominus intra unum solis ambitum, atque eo etiam citius, cursum totius Tragoediae terminarent? licuit igitur et mihi, certamen hoc Arminii, si vel-lem, intra Actus quarti et quinti intervallum constringere; multoque magis licuit, fingendi liberta-te contrahere spatium ac ita imminuere, ut non iustum praelium, sed levem brevemque velitatio-nem fuisse, spectator existimaret. quo abundantius tamen unitati temporis consuleretur, ita finxi, ut pugnam Adgandestrius quidem et socii duces expetant iamque etiam destinent; exercitus ta-men, addictus Arminio, eam detrectet et arma capere adversus liberatorem Germaniae recuset. hac ratione nec ab historia ita abii, ut omnino pugnae nulla mentio inferretur, et intra brevitatem temporis arctissimam me continui et omittendi praelii causam Arminio honorificam attuli.

XI. Scopus, ad quem omnes Tragoediae partes collineant, est veritas haec: qui ambitione illectus praemium sibi poscit, etsi optime meritus, in periculum se ipse conicit. veritatem hanc istis gradiibus persecutus sum: etiamsi merita tua praemio digna sint, propter ipsum tamen hunc splendo-re oculos multorum offendes. ergo eo cautorem te oportet esse; tantum abest, ut prodire et mercedem petere expediat. summa tua merita vitium hoc vix pensabunt. flagitare praemium, viri boni non est; certe viri magni et herois non est. fortasse id, quod iustum et meritum fructum labo-ris tu autumas, iniquum et nimio plus immoderatum videbitur aliis; et erit fortassis immodicum. ob inanem gloriam saepe etiam verae laudes oblivioni traduntur. quanquam solum tu honorem, non ipsam honoris usuram et fructum, bona mente desideres, tamen alii hoc ignorantes vel recu-santes credere, magno te mactare infortunio poterunt. itaque infesta haec merces, quo demum cunque modo ac animo appetatur, virtutem et honorem vulnerat teque odio ac discriminis obicit. haec per totam Tragoediam sparsi et personarum paene omnium ore ita docui, ut, dum Arminii miseratione spectator tangitur, simul a vicio, quo ille infelix fit, potenter et constanter absterrea-tur.

Personae

Arminius	
Flavius	Arminii frater
Marobodus	rex
Adgandestrius	Chattorum dux
Vibilius	Arminii gener
Sigimerus	Arminii filius
Serg. Varus	Quintilii filius, Legatus Romanus
M. Varus	Legati frater
Edelboldus	Adgandestrii filius

Scena in Luco Teutoburgiensi, ad statuam Thuisconis.

Actus primus

Scena prima

Arminius, Adgandestrius

- Adg. Tandem triumphas: ortus est tandem dies,
Victorias qui compleat palma ultima,
Cum tibi corona verticem heroum teget.
- Arm. Sperasne, voti compotem Arminium fore?
- Adg. Virtute dignum praemium ostendit polus
Sceptrumque donat, debitum pridem tibi.
Dum prenso dextras, moneo, circumeo, rogo:
Proni annuere milites, proni duces.
Tui Cherusci consono plausu favent;
Chatti sequuntur, me duce et voti auspice.
Te laetus Hermundurus et castra omnia
Regem salutant ante, quam praeco evocet.
- Arm. Tibi haec comitia debeo speique exitum;
Tu flectis animos, ora cunctantum moves,
Suffragia paras. ceteri mihi si student,
Vnus peregit omnia Adgandestrius.
Fraterna novi studia et addictos sinus.
- Adg. Tibi comitia haec spesque facilesque exitus
Debes tibi uni; lucus hic ipse admonet
Diesque rediens annua solis rota,
Teutonidis, heros, esse te gentis caput.
Hoc publicum me vinculum tibi alligat;
Privata nectit inclyta Arminii soror,
Quam cum rogantis traderes nuptam thoro,
Coepi esse frater teque fraterna fide,
Vt usque colui, sic dehinc firmus colam.
- Arm. Si destinata consequi hoc coetu licet,
Bis auspicatos hunc diem ducam et locum:
Hic Varus olim cecidit et Roma insolens,
Haec lux superbum contudit mundi caput.
- Adg. Marobodus unus lumini tanto obstitit.
Iniuriam nunc ille quando exul luit,
Quis coepta te perficere turbator vetet?
- Arm. Ego Cheruscos moderor, et Chattos tua
Mihi cura iungit; Vibilius, per me potens,
Exercitu si tertio nos augeat,

	Et fidus Hermundurus accedat mihi, Hodie paratus stabit Arminio thronus.	40
Adg.	Male gratus an Vibilius auxilium neget, Auctore te fortuna quem gremio fovet?	
Arm.	Monendus ac movendus iterata prece est; Tu ceterorum, quod facis, mentes tene.	
Adg.	Si dedero pro te spiritum, dedero parum.	45

Scena secunda

Adgandestrius, Varus uterque

Adg.	Quis huc, Quirites? Roma quos mittit viros?	
S. Var.	Salutat Adgandestrium Roma hospita, Salutat Adgandestrium Vari genus. Orator urbis maximae grates fero.	
Adg.	Fare, age, stupentemque, hospes, id primum doce: An cerno Vari filium? an ab umbris redux, An vivus, intras caedis infaustae locum? Nam Sergium cum patre communi nece Stratum hic ferebant, asperi Arminii manu.	50
S. Var.	Dum cupida dextra Teutonum in praedam ruit, Fortuna me paucosque per caecas vias, Densis tenebris abditos, leto eripit. Nunc me repetere patria Alemannos lares Tibique et alto colloqui Arminio iubet. Vestigia comes hic premit frater minor.	55
M. Var.	Germana virtus suasit hanc avido viam, Vt visere oculis detur, an Tibri procul Habitare magna pectora et probitas queant.	
S. Var.	Ego, paternae mortis et cladis memor, Electus ante ceteros, ad vos ii, Quem gemina stimulet cura, dum Roma et pater Face geminata pectus incensum excitant.	65
Adg.	Ea cura crescat, et mage calebunt faces, Monumenta si respexeris, quae fert nemus. En, ossa Vari patris, affixa ilici! En, capta signa, spoliaque et testes probri!	70
S. Var.	Spectacula, heu, nefasta, truculenta, effera! Averte, frater, lumina! ah, pietas vetat!	
Adg.	Haec intuens, responsa quae reddit mihi? Promptumne virus? promptus hic animus manet.	75

S. Var. Percipe Tiberii dicta et Aeneadum Patrum.
 Grates, amice, Caesar obsequio refert,
 Grates Senatus; atque amicitiam probant.
 Hortantur, eadem studia sectari ut velis
 Et amare Romam, quae sibi fidos amat. 80
 Iam nunc rependit candidas merito vices:
 Tibi remittit filium, praedam hosticam,
 Quem socius, Italis additus, captum abstulit
 Et nunc precanti munus Ausoniae dedit.
 Adduc morantem, frater, ad blanda oscula. 85

Scena tertia

Adgandestrius, Serg. Varus

Adg. O grata Roma, nemo quam frustra iuvat!
 Iuvare porro ut liceat et pacta exequi,
 Iam prome munus alterum ac hostis necem.
 S. Var. Pacta haec remittit Caesar et Patrum chorus. 90
 Solent Quirites, Martis e stirpe editi,
 Hostibus aperto quaerere in campo necem.
 Si pilo adacto occumbit Arminius, bene est;
 Perdi veneno clanculum, Romam haud decet.
 Armata gerimus odia, respuimus dolos.
 Adg. Generosa miror consilia, laudo, sequor. 95
 Praeferre tutis fortia, virile est opus.
 Probabit Adgandestrius et armis fidem,
 Si res locusque pectus hostile offerat.

Scena quarta

Arminius, Flavius, Adgandestrius, Serg. Varus

Flav. En, frater, hic interpres Ausoniae venit.
 Adg. Arminii oculos quaerit Orator novus,
 Superstes ille Sergius Varo patri. 100
 Audite, fratres; non ferunt haec me arbitrum.

Scena quinta

Arminius, Flavius, Serg. Varus

- S. Var. Cherusce rector, Teutonum summum decus,
 Pono memoriam patris huiusque arboris.
 Solus Tiberius loquitur haec, Varus tacet. 105
 Affecta Roma vulnere infami et gravi,
 Tanti tuerit benevolia auctorem mali.
 Quos patria socios ad tuum admovit latus,
 Commune quos periculum armavit foris,
 Commune semper quos bonum iunxit domi, 110
 Ii salutem nunc tuam insidiis petunt
 Suique servatoris infestant caput.
 Nos, hostium deterrimos quos tu autumas,
 Quos execraris, Marte quos olim gravi
 Et acer odio nunc inextincto premis, 115
 Nos te monemus, nos tuum arcemus malum,
 Nos proditorem prodimus, nos te pii
 Cavere tibi iubemus ac testem damus
 Hanc tibi tabellam, machinatricem doli.
- Arm. Si certa, Vare, sit tuis dictis fides, 120
 Quin expedis, quae loqueris, et nomen notas?
 Quis ille capitatis proditor nostri impius?
- S. Var. Missae docebunt literae: agnosces manum,
 Quae nos venenum, tibi propinandum, petit.
 Novus Tiberii signat occlusam annulus; 125
 Intus sigilli pristini cernes notam.
 Auctor Alemannus; dignus, ut paucis agam,
 Quem deprehensum puniant artes suaee.
- Arm. Eventa mira praedicas: Teuto nocet
 Proditque civem! candida est Roma et monet! 130
- S. Var. Non si coiimus praeliis mixti horridis,
 Vel caeca tanti decora non cernit viri
 Vel invida negat Roma vel trux non amat.
 Te genere summo nobilem, fortem manu
 Celeremque sensu et ingenii luce inclytum 135
 Pridemque patrii laude maiorem soli
 Italia laudat, exteri populi stupent.
- Arm. Virtute laudem patriae si aequo, sat est.
 Virilis animus, candor, integritas, fides,
 Corpus pudicum, prompta bello dextera,
 Constantia audax, Teutonum veteres notae 140

	Aut barbarum esse neminem ac dici sinunt, Aut esse talis barbarus dicique amem.	
S. Var.	Pridem exuisti barbarum, Romae comes, Castris iisdem suetus et iisdem focus, Et civitatis iura Romuleae tenens Et inter Equites annulo nostro potens.	145
Arm.	Periere pridem nomina haec, Romae data, His hausta sylvis, sanguine eluta Ausonum.	
S. Var.	At nos meminimus, et favor durat vetus, Tuis adiunctus laudibus toties novis. Perire decora tanta perfidia unius, Non aequitas est passa, non candor sacer; Non sic avorum nobilis virtus docet, Venale Pyrrhi qui recusarunt caput	150
	Hostemque, forti tela quatientem manu Inque ipsa Italia caede metuendum ac face, Duxere iniquum toxicum occultum pati.	
	Fidus imitatur has patrum laudes nepos;	155
	Vtque edidere proditae indicium luis Proavi fideles, sic tibi Caesar probus Vrbisque Patres providi auxilium ferunt.	
	Quin haec venena, quae tuus quaerit latro, Mittit tibi ipsi Roma, supplicium reo. Venefici sit poena, quod crimen fuit.	160
	Quod tibi parabat virus, in vinclis bibat.	
Arm.	Iustitia lento fertur in poenam gradu. Cum ponderaro literas, culpam, reum, Consilia capiam, digna Germano et viro.	
S. Var.	Tu, quod videtur; Tiberii cernis scopum, Solam expetentis mutuam concordiam, Vt, cui dicavit templa munificus deae, Ea gentem utramque foedere aeterno liget.	170
Arm.	Concordia utinam stare per vos hic queat! Re cognita, responsa te, Sergi, manent.	175

Scena sexta

Arminius, Flavius

Flav.	Silentia alta rumpere an tandem licet?
Arm.	Fratres loquuntur libere, servi rogant. Nisi forte Roma, cuncta quae cunctos docet,

	Hoc quoque docere sola nos possit, loqui. Meliora si silentio occurrunt, mone.	180
Flav.	Legatio ista, frater, an docuit satis, Non esse Romam, qualis, invidia duce, Tibi ceterisque visa, Germanos movet? Sincerus ille candor, Alemanni nota Virtusque prima nominis, utrisnam manet?	185
Arm.	Proditio nostra est, candor ab Roma et salus. Civis Quiritum! Caesarum digne o cliens! Quam lingua didicit more Romano loqui! Hoc gentis eius proprium, soli sibi Tribuere cuncta, ceteris cunctis nihil.	190
	Peccavit unus Teutonum: omnes vapulant. Vertamus arma: vulnus in Romam reddit. Peccavit unus: tota gens vitio caret. Fefellit illa millies: pura est semel.	195
	Quid, si dolorum ne quidem pura est semel? Nam cur venenum tollit, at mittit simul? Germanica horret funera et stimulans petit. Sic in Alemannos Romuli gens est tui:	
	Dum candidi sunt maxime, dant toxicum. Cupiunt perire quemlibet: sic nos amant.	200
	Odia intus ardent: lingua virtutem sonat. Romana tantum loqueris; aliorum taces,	
Flav.	O frater, odia. nonne erit satius, domi Curasse plagas, quam reprendisse exterias? Est aliquis osor, quisquis est; atrox, gravis,	205
	In crimen omne promptus, haerens ad latus. Haec cogitasse iuverit, memorem sui.	
Arm.	Cera soluta, diffugit hic omnis metus. Tollere inimicum, quisquis est, nutu queo.	
Flav.	Tollere inimicum, facile; sed, frater, parum est.	210
	Tollere odiorum semina, heroum puta. Vir magnus haec scitabitur, culpam timens,	
	Suique iudex: odia num iusta ingruunt? An provoco ipse incendia et causas alo?	
	Fortuna magnum fecit: hocne unum aemulos	215
	Irritat in me? num latet origo altior? Libido vana gloriae num me extulit?	
	Fragilis cupidus laudis, ambitio levis Offendit animos civium aut fastus tumens?	
	Haec deprehendens, ipse se damnat magis,	220
	Quam quos coegit criminis irasci suo.	
Arm.	Quae monita fundis? aure perculta haurio! Scrutaris huius intimas animi fibras.	
	Agnosco: amavit ipsa te sapientia.	

- Flav. Tuum ad tribunal cognitor temet voca. 225
 Hoc suggero unum: civium hostilis manus
 Siquando magnos insequitur, aliquid subest.
 Raro absque culpa sternitur dux a suis;
 Quo mage cavere, quisquis excellit, decet.
 Satis ipsa lux haec nimia, quam clari vibrant,
 Offendit aegra lumina et mentem invidam;
 Si sponte maculas additis, numnam ferent?
 Arm. Salubria moves, at mihi sero agnita!
 Mutare coepta non sinit praesens dies.

Scena septima

Arminius, Flavius, Sigimerus

- Flav. Quis in propinquo est, frater? o superi! nepos! 235
 Sig. O spes Cherusci nominis, patriae iubar!
 O summa nati gloria et constans amor!
 Daturne rursum stringere paternam manum?
 Romae parem Romaeque domitricem manum.
 Arm. Sigimere, carum pignus, ablatum diu! 240
 Quis te propitius restituit hodie deus,
 Romana passum vincula aestates decem?
 An Varus idem, Flavius cum quo venit,
 Te mihi reducit, filium fratri additum?
 Sig. Varus reducit.
 Flav. Flavio haec inconscio? 245
 Cur toto itinere mentio nulla incidit?
 Arm. Cur tacuit ante Sergius, dum me modo,
 Nomine Tiberii blandiens, mulcet diu?
 Sig. Non ego Tiberii munere hic adsum redux,
 Nec Sigimerum Sergius reddit patri. 250
 Varo minori debeo solutas manus;
 Namque ille magni captus Arminii bonis,
 Virtute, palmis, gloria, incensus flagrat
 Et cum parente me quoque amplectens amat.
 Accedere ultro saepe, solari moras,
 Levare dictis carceris duri mala,
 Accendere animos; fortiter ferrem omnia,
 Exempla patris cupidus ac matris sequi.
 Nam cara genitrix, Martii imitatrix viri 255

	Nullisque fracta vinculis, Romae haud minor Sibi hostibusque visa quam stans et vigens.	260
Arm.	O digna thalamo! quam mihi hoc animo places! Sed ubi relicta mater? an vincla exuit?	
Sig.	Antiqua fortunae odia nunc etiam luit. Nos carcer idem strinxerat iunctos diu.	265
	Hoc quoque levamen Roma cum tandem eripit Et separatos mutuo visu abstinet, Venit, ecce, Varus pridie, fratri comes Quam pergeret Germanicas visum plagas. Narrat iter et me ludere vigilias docet.	
	Elabor, intempesta dum nox me iuvat, Patriamque repeto, adultus hostili in solo.	270
Arm.	O te recepto faustus Arminio dies! O care fili! perge virtuti obsequi. En, inter hostes illa praesidium invenit;	275
	En, vincit animos et sui immemores facit. Ille, ille Varus, cuius hic servo patrem, Virtute mitigatus et nostra et tua, Te diligit, te liberat, te sospitat.	
Sig.	Nunc e propinquo cernere assidue licet Arminium virtutis et veri ducem.	280
Arm.	Fuge, nate, labes et vel in me ipso cave. Si me videbis, tramite a recto avium,	
	Virtute spreta, laude corrupta trahi, Si patriae me noxium, populo gravem	285
	Si deprehendes atque dissimilem mei, Amare patrem perge, sed culpas patris Abominare fortis et vita probus.	
Sig.	Quae iussa promis, genitor? aut quorsum hic timor? O liberator patriae! vita omnium!	290
	Tuumne verti pectus aliumve impetum Admittere unquam posse, quam semper soles?	
Arm.	Ah, Sigimere! fallit aliquando color, Nec sentientes vitia praecipites agunt.	
	Heu! sera lucet veritas! dixi, cave.	295
Sig.	Dic, genitor, aut tu, patrue, horrentem doce, Quid alta sibi suspiria et luctus velint.	
Arm.	Frater! doloris causa stimulusque intimi! Cur monitor hodie vulneras fratrem et necas?	
	Cur distulisti? sapere cur tandem doces?	300
	Haec te mihi olim decuit aut nunquam loqui.	

Scena octava

Iidem, Vibilius

- | | | |
|-------|--|-----|
| Vib. | Invicte dux, in castra se rumor novus
Diffundere modo coepit: ingentem hospitem
Intrasse fines, Sergio comitem datum.
Marobodus ille, Teutonum laus et probrum,
Antiqua tibi cos gloriae, ut fertur, reddit. | 305 |
| Arm. | Marobodus, inquis? video, non frustra exulem
Legisse Italiam naufragae portum rati.
Romana vereor consilia. Flavi! taces? | |
| Flav. | Arcana si consilia Romani occulunt,
Me nesciente texitur tela haec latens. | 310 |
| Vib. | Flavi, Latinos candidus temno dolos.
Germanus ego non degener pugno manu.
Arminio volente, Marobodi aemuli
Manu occupavi regna victisque impero.
Contemno sceptrum, patria libertas iuvat. | |
| | Tu, qui secures colere didicisti exteris,
Lunato adora poplite coronae iubar.
Mihi dextra ferrum dum regit et animus manum, | |
| | Nullus Tiberius iura det, nullus Tibris,
Nullus Eques Italus liberos cogat viros. | 315 |
| | Regina nobis una libertas praeest. | |
| Flav. | Forti licebit esse, vel omissis minis,
Cum certus hostis certave pericla ingruent. | |

Scena nona

Iidem, Adgandestrius

- | | | |
|------|---|-----|
| Adg. | Advena superbus Sergii claudit latus,
Suo et Quiritum spiritu trux et ferox. | 325 |
| Arm. | Marobodum adesse nuncias? | |
| Adg. | visum mihi. | |
| Arm. | Amice, solus rem novam mecum expedi. | |

Scena decima

Arminius, Adgandestrius

- Arm. De Marobodo videro; de me prius.
Quid ferre censes Sergium ex urbe hostica? 330
- Adg. Arminio dignum aliquid et dignum hostibus.
- Arm. Nec me nec illis; nam mihi salutem attulit.
Delere me hostis debuit, clade efferus;
Servare civis, saepe servatus mihi.
Nunc servat hostis, civis it me perditum. 335
- Adg. Indigna memoras. certa num dictis fides?
- Arm. Hae proditoris literae invenient fidem;
Atque hoc venenum, Roma quod mittit monens.
- Adg. Quis cum veneno literas auctor dedit?
- Arm. Vt pateat auctor, vinculum cerae aufero. 340
- Adg. Quin subtrahe irae, prima dum flamma aestuat,
Periculosem fomitem, arcanas notas.
Latere nomen hostis ignotum sine,
Diiudicare ut rectius litem queas.
- Arm. Ausculto monitis: iustitia caeca aestimet. 345
Postquam togatae gentis excussi iugum,
Auctor salutis publicae, et clade hostium
Nunquam ante partas laureas patriae intuli,
Vt gloriosa, ut libera, ut spoliis gravis
Timore tacito compleat Romae forum;
Postquam merebar praemium et amorem omnium, 350
Quid tu esse censes, cur meam sitiant necem,
Quos fidus et amans usque cumulavi bonis?
Immane quodnam facinus admisi impius,
Atrox, pudendum, dirum, inexcusabile,
Vt haec mererer ultima a nostris pati? 355
- Adg. Laesusne procerum quispiam offensam dolet
Et ultiōnis appetens iram coquit?
- Arm. Iniuria num laedere ego possim meos,
Quibus parentem duco me fato datum? 360
- Adg. Incogitantes culpa nonnunquam premit.
- Arm. Quae culpa, frater? indica! cupio, rogo.
Reprende voce libera erroris reum!
- Adg. Turbatur animus innocens umbra mali.
- Arm. Si credor insons, quis mihi exitium struit?
Quis innocentis toxicum miscet latro?
Quis ille durus, tacitus, indomabilis? 365

- Adg. Nisi cuncta fallunt, magnus est, audax, potens,
Qui speret aliquid et reformidet nihil.
Fraterna ni consilia contemnis, dabo. 370
Mihi cede clausas literas, causam hanc mihi
Et ultionis ius mihi manda et modum.
Laesum esse eundem et iudicem, haud aequum satis.
- Arm. Cape hanc tabellam: par tibi nostri est amor,
Liberior animus, certa et unanimis fides. 375
At tu, cruenta, quisquis in caput hoc furis,
Vbicunque degis, disce, deprendi scelus,
Aliquando nulli praeter auctorem nocens,
Curaeque superis esse vitam Arminii.
- Adg. Secedo, frater, doque iudicium reo. 380
Arm. At siste: quid, si proditor longa fide
Famave clarus fuerit aut armis potens?
Si nostrum utrvis carus? an geminus pudor,
Me teque facti concio, afflictum obruet?
Miseratio vetat. redde, quas ceras dedi.
Cognitio causae mea sit, arbitrium tuum.
Solus latronis nomen occultum eruam,
Si forte famae parcere silendo queam;
Sin nequeo, tu pronuncia, iudex rei. 385

Scena undecima

Adgandestrius, Edelboldus, M. Varus

- M. Var. Hic natus Adgandestrium tandem videt, 390
Quem noster alibi quaesiit frustra labor.
- Edel. Salveto, genitor, mille post fati vices,
Quas me tulisse, dum tibi donor, iuvat,
Vt, liberatus vinculis caro a patre,
Mea cuncta bis iam debeam Adgandestrio. 395
- M. Var. Laetus favore hoc fruere Romani ducis.
- Adg. Sic vos, precor, fruamini iratis diis,
Vt ego favore hoc, perfidi, vestro fruor!
I, discat ex te Sergius, fraudum artifex,
Non me latere, Roma quos nectit, dolos. 400
Ah, nate! te restituit infidum genus
Patremque prodit, abdito reti implicans.
Fuge pestilentes, recipe te mecum dolens.

Actus secundus

Scena prima

Arminius, Edelboldus

- Arm. Huc, iuvenis acer! huc Edelboldum voco.
Hic te Thuisco spoliaque ablata hostibus
Et hostium dux ipse te Varus docet,
Teutonica virtus quid petat, tentet, queat.
Virtutis huius impetu primo rapi
Te testis ipse videram, Marti obvium,
Romana cum te paene protrivit manus. 405
- Edel. Evidem perieram, tu nisi tulisses opem;
Qua liberatus, media dum rursus feror
In arma praeeeps, captus ex acie trahor.
- Arm. Laudo ferocem, dum tuam aetatem anteis,
Neque consecratus rite bellorum aestui,
Misceris ultro praeliis, imitans viros.
Captivitatis nunc quoque expertus labor
Te duplicata laude Mavorti asserit.
Tibi imperator Teutonum luco hoc sacro
Decerno honores publicos, digno coli. 410
- Edel. O me beatum! postubi eripuit neci
Me summus heros gentium fortissimae,
Idem ipse ritu patrio annumerat viris.
- Arm. Quod auspicatum patriae tibique accidat,
Hoc trado scutum more maiorum tibi,
Hanc addo frameam, gloriae primordia.
Insignia haec te inertium turbae eximunt
Rebusque agundis admovent deinceps parem.
Tu sic memento tegere te scuti obice,
Sic quatere frameam hanc, ut Thuisconis patris 415
- Arminiique nulla degenerem arguat
Diesve resve. sic in amplexus veni.
- Edel. Servator huius spiritus, auctor novi
Mihi nunc honoris, quid tibi reddam pius?
Quod imperasti, dignus ut vivam hoc avo;
Te dignus, heros; dignus et gente hac nepos,
Cuius vel ipsae feminae, expertes metus,
Numerant suorum vulnera atque optant nova
Cuneisque densis obviae incendunt viros. 420
- Tu, sancte saltus! tuque o hunc saltum replens,
Parietibus ullis nescie includi deus! 425
- 430
- 435
- 440

- Ac tu, Thuisco, conditor Germaniae!
 Vos facio testes, me mei memorem fore
 Tantumque vobis atque virtuti sacrum.
- Arm. Vnum hoc, o Edelbolde, Germanum facit. 445
 Edel. At tu, benigna qui manu natum erigis,
 Fac, sentiat opem turbidus genitor parem.
 Arm. Sinister Adgandestrium an casus premit?
 Edel. Nescio quod animum territi versat malum.
 Nil fassus aliud, Tiberii incusat dolos:
 Graves procellas imminere vertici;
 In te esse solo, quidquid est reliquum spei.
- Arm. Non te fefellit. pectus incertum viri,
 Vrgente Varo, cura sollicitat gravis.
 Haec intuere munera, Tiberius dedit. 455
 Edel. Ignobilis quid pulveris Caesar tibi?
 Arm. Venena mittit. Teuto, qui peteret, fuit,
 Arminii molitus obscuram necem.
 Edel. Heu! cadere tantum possit in quemquam nefas?
 Arm. Documenta certa, literas istas, cape. 460
 Edel. 'Adgandestrius Tiberio Caesari et Romanis.'
 Quod video nomen? an pater ...
 Arm. disces, lege.
 Edel. 'Mors prompta Arminii votum est vestrumque meumque:
 Mitte mihi virus, Caesar; et ille bibet.'
 Sunt, sunt parentis omnia! heu, novi nimis! 465
 Testis paternus annulus, testis manus.
 Infauste genitor! quid miser primum querar?
 Arminii pericula an patriae an tua,
 Patriae tuusque filius et huius cliens?
- Arm. Sopi, o parentis non boni fili optime,
 Sopi querelas! facilis ignosco reo.
 Sunt nomina illi multa, quae veniam petunt:
 Coniux sororis, civis et amicus diu 470
 Functusque amici munere et saepe et probe,
 Tot millium dux nobilis, bello integer,
 Spes patriae ingens, cari Edelboldi pater.
 Ipsum esse sivi iudicem et porro sino.
 Fer literas, fer virus hoc: causam tenet.
 Expendat acta; ius sibi dicat, licet.
- Edel. Qua se ipse poena talis, heu, damnet reus? 480
 Arm. Hic annulus sententiam alterutram feret.
 Scio, annulus quid more Chattorum petat.
 Edel. Siqua ultio paratur hostile in caput,
 Hoc ferreo nos vinculo induimus manum;
 Nec ponere sinit mos vetus turpem hanc notam,
 Vindicta donec nominis labem expiet. 485

- Arm. Seu semet Adgandestrius damnat reum,
Seu iura me laesisse fortasse arguit,
Alterutrum in hostem digitus hoc ferrum geret.
Ego si merebor, patiar hoc ligno impeti; 490
Si se ipse damnat, annulus Romam notet.
- Edel. Romam euge! Romam! tanta quae nobis mala.
Namque innocentem te quis hic damnet furor?
- Arm. Heroas etiam saepe sua labes trahit;
Vtque umbra maior corpore a magno cadit, 495
Ita culpa magnum nomen obscurat magis.
- Edel. O te Cheruscum! semper o aequum et bonum!
O similis Adgandestrium ut purget timor!

Scena secunda

Arminius, Flavius

- Flav. Tuae salutis me pius trahit huc amor,
Cui fratriis aures, fallor, an dociles patent? 500
- Arm. Aures et animum sic tibi, o frater, dedi,
Vt vox tua omnis pectore sub imo haereat.
O inquietum, iure qui sese arguit!
- Flav. Minus inquieto vivere huic animo licet,
Stimulos revelli si sibi quosdam sinat. 505
Noctes diesque te cruciat odium vetus,
Quo dissides Quiritibus durus nimis.
Amicus esse disce frangereque impetum;
Ego quietus Romae amicitia fruor:
Imitare fratrem! laeta succedet quies.
- Arm. Iam non amicum, non ego fratrem audio.
Romanus Eques haec suggerit, nostrae pudor
Et poena gentis; vile qui pretium aucupans,
Torque et corona vendidit patriam levis.
- Flav. Quae dona spernis, maximi reges colunt. 515
- Arm. Servi Quiritum. Teuto sat magnus domi est:
Quas culta nugas Roma, quos titulos nova
Procudat arte, temnere irridens amat.
- Flav. Non sic tonabas, quando Romanos duces
Dux ipse sectans, decora laudabas Patrum
Et instituta Martis et florem artium.
- Arm. Quae Roma sit, tum nosse praesenti datum est. 520
Praeclara multa; vana, ridicula, impia

	Videre plura contigit Romae in sinu.	
	Sectemur artes, si placent: quid opus iugo est?	525
	Didici Quiritum pleraque et vici aemulus.	
	Cur Teuto cedat exteris, par aut prior?	
Flav.	Quis cedere iubet? socia iungatur manus.	
Arm.	Sociumne quemquam tumidus agnoscit Tibris?	
	Roma una totum gignit humanum genus;	530
	At ceteri omnes, barbari sunt et ferae.	
	Hocne est, quietum dulci amicitia frui,	
	Foris putari barbarum ac hostem domi?	
Flav.	Necessitas p[re]a nomine est, frater pie!	
	Tendit supinas uxor e vinclis manus	535
	Annosque denos passa, subsidium rogat.	
Arm.	Si fortis illa est, qualis est, non sic rogat.	
	Si sic rogaret, esse cessaret mea.	
Flav.	Germania ipsa, fessa tot bellis parens,	
	Ne valida pila provokes ultro, obsecrat.	540
Arm.	Teutonia, bello laeta, me gaudet duce.	
	Quis valida pila frangat, hic narret dies,	
	Vari crux nobilis, Romae niger,	
	Quae reperit inter Teutones Cannas novas.	
Flav.	Disperiit olim Varus et Vari manus:	545
	Pereant et odia, dum sua est armis quies.	
Arm.	Vari supersunt vitia Romamque inquinant.	
	Contemptus idem gentium late omnium,	
	Idem superbo spiritus fastu insolens,	
	Eadem libido, percita et freni inscia,	550
	Idem amor habendi sordidaque lucri fames.	
	Talesne amico stringere amplexu iubes?	
	Enses quiescunt, mens Itala pugnas movet.	
	Turbare nos et laedere et pessum dare,	
	Non melior armis quaerit Ausonidum toga.	555
Flav.	Romana iactas crimina et stragem virum;	
	Victoriarum gloriam an iniquus negas?	
	Idistavisi cogita immensos agros,	
	Millia ubi dena passuum Alemannus cruor	
	Rigavit et Visurgis intumuit rubens;	560
	Nec profuere compedes vanae spei,	
	Mox praeda iisdem, queis ferebantur, datae.	
Arm.	Fortuna, Martis socia, dum variat vices,	
	De laude prisca detrahere potuit nihil.	
	Qui pepulit hostem, vicit. haec summa est rei,	565
	Germaniae omnes victor ubi toties plagas	
	Stravi Latino funere, exhausi malum;	
	Hanc dexteram fugere Romani duces	
	Et liberata patria victorem canit.	

- Flav. Nec diffitetur Roma, te laude efferens. 570
 Arm. Ah, frater! oculos denique in temet refer!
 Me Roma cum Germania laudans colit,
 Dum fundo patriae sanguinem et servo fidem.
 Te Roma spernit transfugam, Teuto fugit.
 O qui salubri me pius monitu regis,
 Te, te vicissim, quid viro expediat, doce.
 Iuvatne ferre vulnera, labori immori,
 Summum ut bonorum, fama, laceretur probris?
 Hoccine profusi sanguinis pretium feres,
 Ii ut triumphent, qui tuam oderunt domum,
 Qui te tuosque saxa, non homines putant,
 Qui non quiescunt ante, quam discordia
 Vbique sparsa Teutonas discerpserint?
- Flav. Frater!
 Arm. rependo nobili obsequio vices:
 Commotus a te, sana tibi dicta ingero. 585
 Per patriae te iura, per avitum decus,
 Per numen istud oro praesentis dei,
 Ne servitutis exterae potius iugum
 Quam fas patrumque gloriam assertam velis.
 Ego dum supremum Teutones inter gradum
 Conscendere aveo, gloriam hanc unam ambiens,
 Colligere vires tandem ut Alemannas queam
 Vnumque in armis audiant omnes caput,
 Tu civium desertor es? tu proditor?
 Tu macula generis? tu tui caeli lues?
- Flav. Ah parce, frater! criminis tetri pudet.
 Pudet videri, donec errorem expio. 595

Scena tertia

Arminius, Serg. Varus

- S. Var. Comperta, spero, veritas, dux, te docet,
 Pretiosa quam sit Caesari Arminii salus
 Et an Quiritum, dum tibi sic se probant,
 Sincera studia digna sint studio tuo. 600
 Arm. Grates parabam, iure quas a me petis.
 Generosa Roma pugnat officiis modo,
 Quemque superare Marte non valuit gravi,
 Humanitate vincere et cura studet. 605

- Victus fateri cogar et laude hac minor,
Certare vobis nisi pari obsequio datur.
- S. Var. Id dabitur hodie. Roma commendat virum,
Fortuna utraque nobilem; regem, exulem:
Quem fortem et altum fortior tenuit manus,
Magnumque maior cedere coegit loco. 610
- Arm. Quid fortior maiorque nunc faciat, cupis?
- S. Var. Magnanimus ut sit vitor et spernat lucrum:
Sortis sequester asperae tu, vir potens,
Quod illa sceptrum irata Marbodo abstulit,
Restitue liberalis et lapsum eleva. 615
- Hoc Roma dum optat, reddere officium licet.
- Arm. Non humile votum Roma concepit tua.
Gravi hic dicatus sit licet curae dies,
Tamen huius etiam mox erit causae arbiter. 620

Scena quarta

Arminius, Maroboduus, Varus uterque

- Mar. Tibi, dux Cherusce, multa in acceptis fero;
Ludibria famae spernere, videri minor,
Regni abstinere commodis per te scio.
Vnum adde meritis iusque Marobodi adiuva.
A te repulsus, arma dum Latii invoco, 625
In te Tiberii tela, sed frustra, ciens,
Latro Catualda regiam absenti eripit
Tuaeque fortitudinis fructum capit.
Praemia rebelli digna statuerunt dii.
Stratus Vibilii dextera, auspiciis tuis, 630
Mihi redeunti pandit ad solium viam.
Tibi Vibilius cum suis castris subest:
Decedere illum, regna mihi reddi iube.
- Arm. Meretur aliquid, esse qui didicit miser.
Carere regno qui scit, est dignus throno.
Sed quis, carere quo potest, ambit tamen
Nomenque regis perditum supplex petit? 635
- Mar. Interpretaris perperam. peto, non rogo.
Didici abstinere; sed iubet reddi aequitas.
Rex esse nunquam desii: immemorem gradus
Quem supplicare non pudet, regem haud puto.
Regum est monere. te Maroboduus monet. 640

Arm.	Opibus valentes pompa verborum decet. Sed nec iacenti tela fortunae exprobro Nec sperno monita, dum parem mihi te reor.	645
Mar.	At Maroboduus non sibi dicit parem, Quemcunque nullo nobilem sceptro videt.	
Arm.	Forsan tenebit hoc quoque Arminii manus.	
Mar.	Quodnam arrogare tu tibi solium?	
Arm.	tuum.	
	Si prendere mihi libeat, et spolia indui, Quae iure Martis parta sunt, quis me vetet? Sed, Marobodue, sis licet regno prior, Laurum coronae aequiparo pulcrumque hoc nemus.	650
Mar.	Turbator o Germaniae! Vari ossibus Quid gloriaris? occupas mitem virum Magisque doctum, castra quam pugnas sequi. Tres vincis aquilas, praelii vacuas metu; Ego duodenis hoc meum opposui caput.	655
S. Var.	Quid Variana potuerit clade haec manus, Gens nostra sentit, Romaque fatetur dolens. Exercitus, quo melior haud alias fuit, Victoriarum prima spes Vrbi sacrae, Vna ruina cecidit, Arminio duce.	660
Arm.	Marbode, verbis congredi non est meum. Est edita alibi pugna ventumque ad fugam. Tu regna repetis pristina, Arminius tenet. Deliberanti perbrevem mihi da moram.	665

Scena quinta

Varus uterque

M. Var.	O par virorum forte, sed dispar sibi! Vterque firmus: alter ut ferrum riget, Indomitus, asper, inter aerumnas ferox; Alter, adamantis more, fulgendo allicit.	670
S. Var.	Quo maior, hoc et gravior est nobis timor. Quem Roma nequirit, Teutones perdant virum. Dissidia gentis nostra sunt victoria. Ergo haec fovere, summus est Romae labor. Pridem Tiberio proprium, bellis procul, Viros ut inter principes litem serat Cadmeaque seges mutuis odiis cadat.	675

- Hoc nostri itineris, frater, occultum est caput.
Dum prodit alterum alteri, incendit faces,
Quae iuncta superent tecta flammārum globis. 680
Regem iuvamus exulem, Arminii aemulum,
Ne desit unquam, bella qui prenset nova.
Spectator otiosus haec Caesar videt
Hostesque scissos vincit ipsorum manu,
Dum, clade tandem mutua attriti satis, 685
Romae irruentis viribus fessi patent.
M. Var. Sapientiae praecepta tu narras novae,
Ignota Romae annalibus, quotquot lego.
S. Var. Laudanda virtus, serviendum tempori est. 690

Actus tertius

Scena prima

Arminius, Maroboduus

- Arm. Aut fallor animi aut vir tibi videor probus:
Post bella acerba, post opem Romae hosticam
In me expetitam, fassus hoc ipsum palam,
Speras perisque, quo nihil maius datur.
- Mar. Sic quippe magnum magna largiri decet. 695
- Arm. Oblitus acta, quae petis, facilis dabo,
Si dederis ante, quod bonum patriae petit.
Varum execrati Teutones, nunquam ferent
Clarum corona Caesaris satellitem.
- Opulenta regna Sueviae, votum tuum, 700
Germaniae partem inclytam, non iam pio
Regi viderer tradere, sed hosti impio,
Si Romae amico crederem sceptri hoc ebur.
- Mar. Quid Roma, nunc pacata, Germanos movet?
- Arm. Cineri doloso pertinax ignis subest. 705
- Satis Segestes nocuit, indignus socer,
Per quem bicornis Rhenus Ausoniam togam,
Virgas, secures vidit et primum horruit
Admota servitutis externae probra.
- Haec una nobis pacta: si regnum placet, 710
Vni fidelis patriae, eiura Tibrim.
Corona dabitur, esto Germanus modo.
Libens omitto regna, si tantum virum
Hoc emere pretio patriae carae queam.
Sed civis esse ni velis, rex non eris.
- Mar. Ingentia petis. 715
- Arm. iure, dum summa offero.
- Mar. Secedo: solitudo consilium dabit.

Scena secunda

Arminius, Adgandestrius

- | | | |
|------|--|-----|
| Adg. | Dux, iudicatum est. annulus stringit manum. | |
| Arm. | Arminiusne an Tiberius causa cadit? | |
| Adg. | Agnosco Romam denique, oppressus dolo.
Grati remittunt filium et perdunt patrem.
Quin ipse, mecum ut pereat, huc natus venit.
Agnosco tandem Arminii magnam indolem,
Quae solam amare gloriam et laesum iubet. | 720 |
| Arm. | Amemus unam gloriam et patriae bonum;
Animoque magno spernere Italicas opes
Celsi audeamus. patria nos virtus docet,
Perinde habere pondus argenti nitens,
Quo Roma mentes tentat, ut testam levem. | 725 |
| Adg. | Non me cupiditas facinus in tantum impulit;
Sed nesciebam, nec fateri me pudet,
Animo impotente ferre maiorem domi. | 730 |
| Arm. | Amice, fac, te nomine hoc dignum velis,
Quod prodisti. stemus, obliiti omnia
Vterque posthinc, Tiberium contra aenei. | 735 |
| Adg. | Ipsum Quirinum, siquis est, iuro deum!
Iuro arrogantis Praestites Capitolii!
Tuumque iuro, fortis Armini, caput!
Vltor Quirites persequar, sive id manu
Sive arte potero; sive consilio eminus | 740 |
| | Seu cominus sors dederit, infensem sciant,
Exulceratum, ferreum, implacabilem. | |
| Arm. | Sic frater es, sic sponte mihi factum est satis. | |
| Adg. | Nec voce sola, re satisfacio tibi;
Eventus ipse mox tibi probabit fidem. | 745 |
| | Eo ducesque et ordines rursum alloquor,
Mutatus animo, voce, qua feci prius. | |
| | Corona cum sublime decorabit caput,
Iniuriam delebit obsequium novum. | |
| Arm. | Vestigia mihi nulla sunt pridem super. | 750 |

Scena tertia

Arminius, Flavius, Vibilius

- | | | |
|-------|--|-----|
| Flav. | An verus auctor Varus? an fucum facit?
Te porro amicum narrat Aeneadis fore;
Pignus daturum, Sueviae regno uberi
In Marobodui rursus illato manus. | |
| Vib. | Ardet comitiis miles intentus novis
Tuamque mentem discere, impatiens morae,
Constantiaque de tua dubius cupidit. | 755 |
| Arm. | Constantiam probabo: Marobodi vices
Meamque mentem reteget hic cunctis dies.
Nunc agite, frater tuque Vibili gener,
Docete coram, vestra quid mens hic probet:
Si Maroboduo regna concedo bonus,
Regale nomen an sibi is reddi velit?
An ceterorum sorte contentum decet
Posita corona pristinis terris frui? | 760 |
| Flav. | Si Marcomannos recipit, imperio potens,
Cur invidere nomini antiquo placet? | 765 |
| Arm. | Male suspicaris: pingue si reddo solum,
Reddo et coronam pristinam, neutri invidens,
Sed Marobodus rectius utrumnam eligit?
Regis resumet nomen an sponte exuet? | 770 |
| Flav. | Illustre nomen siqua fortuna obtulit,
Implere nomen rite si factis queas,
Si iure partam gloriam nulla inficit
Ambitio prava, non ego hoc damnem iubar. | 775 |
| Vib. | Tu multa, Flavi, poscis; at plura accipe.
Aequarit actis regium nomen licet
Marobodus, alto dignus imperii gradu;
Sua coronam sponte si prenset manu,
Ambitio abesse qui potest, odii parens? | 780 |
| Flav. | Odiis petitum nemo Marbodium neget. | |
| Vib. | Vnumque regis nomen haec odia intulit.
Laudata bellis consilia, virtus, manus;
Corona nocuit sola laudique obstitit.
Arminium secutus Alemanni favor, | 785 |
| | Dum libera pro gente pugnanti adfuit,
Regis superbi gloriam in casum impulit. | |
| Flav. | Exosa sceptrum, fateor, est nostra indoles. | |
| Vib. | Roma dominatu gaudet ac, victos premens,
Cervice reges ferre servili docet. | 790 |

	Eat, coronam quaerat, ubi lictor iubet: Liber Alemannus excutit nomen iugi.	
Arm.	Suadere tutiora te video, gener.	
Flav.	Potest carere nomine hoc, rem qui tenet.	
Vib.	At non carebit. umbra Marobodum trahit; Relinquere alta nescit, indulgens sibi. O patria! quae te denuo plagae manent? Namque odia redeunt vetera, clamores, faces Teutoque pugnans Teutoni bello impio.	795
Arm.	Meum est, cavere providum tantos metus. Perspecta nobis mens tua, Vibili, satis. Nunc nos comitia, cupidus et miles vocant. Tu iunctus Adgandestrio curas leva. Tibi deinde, frater, plura, cum tempus sinet.	800

Scena quarta

Arminius, Sigimerus

Sig.	Quae fama castris, o pater, de te volat? Credamne? regnum magnus Arminius petet?	805
Arm.	An erubescis, regium dici genus?	
Sig.	Arminii esse sanguinem, summum est decus; Sed servitus Germaniae est summus pudor. Eheu! quid ambis? sic tibi patria excidit? Sic excidisti tu tibi, heroum optime? Nunc dicta patris assequor tandem miser! Heu, sera lucet veritas nato quoque!	810
	Heroas etiam vitia praecipites agunt.	
Arm.	Etiamne proles Flavio accedit comes? An uterque pectus lancinat tortor ferus?	815
Sig.	Ignosce, genitor, si tuam vocem sequor. Heu, cor tremiscit! vera sed fas est loqui. Te video, genitor, tramite a recto avium, Virtute posita, laude corrupta trahi. Ah, patriae te noxium, genti gravem	820
	Te deprehendo, moris haud similem tui. Amare patrem pergo, sed culpam patris ... Heu, quae iubebas, filius timet eloqui.	
Arm.	Dies pudenda! filius patrem docet. Sed, nate, dic, trophyea si nostra aspicis, Nullane meretur praemia Arminii manus?	825

Sig.	Omnia meretur, sed nihil virtus petit. Qui gloriae laborat, in honorem irruat; Qui patriae laborat, ipse illum labor Solatur instar praemii, nescit lucrum.	830
Arm.	Mi nate! splendor decipit.	
Sig.	vanus, levis. Quem vero? num fas dicere est? vanos, leves. Non haec, Thuisco maxime, nepoti dabus Documenta vitae! cernis haec, nec te pudet?	835
	Non tu coronam, te corona quaesiit. Indigna nunc amamus, immemores patrum.	
Arm.	Sic perge, fili: mereor audire omnia.	
Sig.	Ille, ille quondam patriae vindex deus, Arminius ille, iura qui Vari aspera Dominosque fasces depulit, dominus novus Collum parentis regio calcat pede.	840
	Quod Roma iniqua non potuit, hoc tu facis? Nam Roma victrix quid aliud demum hic velit?	
	Praetor veniret nempe, lictores trahens;	845
	Sella in curuli iura dictaret tumens Nostrumque sceptro Caesaris curvans genu. Civisne poterit, Caesari quod non licet?	
	Romanus agnosceris ex uno hoc Eques?	
Arm.	Prosequere! fidus ingere merenti probra!	850
Sig.	Vtinam dolorem cerneret nati intimum! Romam reliqui, desero nunc et patrem; Namque intueri gloria haec coram vetat. Nullusne nostrum finis exilium manet?	
	Vtrinque fugere geminus, heu, hostis iubet!	855
	O misera patria! quis tuum haud lacerat sinum? Foris Quirinus aemulus et intus pater.	
Arm.	Cave doloris arbitrum: Marcum vides.	

Scena quinta

Arminius, Sigimerus, M. Varus

Arm.	Marce, mihi salve, patris in nato salus.	
M. Var.	Vterque frater dona fortunae nova Tibi gratulatur, Armini, rex Teutonum!	860
	Nam praevenire regium nomen iuvat,	
	Quo protinus vox te una cunctorum efferet.	

- Arm. Fors domina campi cernere futurum vetat.
- M. Var. Me, quem tua olim dextera orbavit patre,
Me, cuius almam patriam exosus premis,
Me sola cepit fama virtutis tuae.
Tuine cives praemium heroi negent,
Germaniae quem Romulum et Martem vident?
- Arm. Nobis Thuisco est Romulus.
- Sig. Mars es, pater. 865
Sed patria deum quem colit, regem fugit.
- M. Var. Rex esse didicit, qui triumphat Caesares.
Fractum hoc ab uno stupuit Augustum Tibris,
Cum parietes pulsaret attonitum caput,
Frustra reposcens, tela quos vestra hauserant.
Quin et quotannis lugubrem hunc habuit diem,
Sese minorem fassus Alemanno duce.
- Sig. Augustus ipse ponere coronam gravem
Et liberare patriam statuit iugo.
Nec vox Tiberii prima me vestri latet,
Cum frena regni caperet invita manu:
Indomita regnum est bellua, in dominum fremens.
- M. Var. Tamen tot annos belluam hanc Caesar domat;
Tenuitque sceptra Augustus, abiecto metu.
Lupata quamvis mordeat plebs insolens,
Praestat fideli dextera unius regi,
Arbitrio quam plurium everti rotas.
- Arm. Quae destinata sint mihi, neuter videt.
Adeste, iuvenes: pando consilia intima.
- 870
875
880
885

Actus quartus

Scena prima

Adgandestrius, Edelboldus

- | | | |
|-------|---|-----|
| Adg. | Tandemne deprehendo, quem pridem peto? | 890 |
| Edel. | Paterna quorsum imperia me promptum vocant? | |
| Adg. | Quo ducet isthic annulus et irae tumor. | |
| Edel. | Eccui minatur ira ferrumque asperum? | |
| Adg. | Geminis minatur hostibus, Romae et duci.
Illa immerentem prodit, exponens neci; | |
| | Hic vel meretur odia vel certe feret. | 895 |
| | Fili, mea salus poscit Arminii necem. | |
| Edel. | Qua voce terres? heu! necem Arminio struis,
Cui iam coronam, cui tua sceptrum manu
In hunc parabas primus adiutor diem? | 900 |
| Adg. | Sceptrum et coronam Vibilius custos tenet,
A me parata insignia imperii novi.
Nova nunc pericla Varus ignaro attulit, | |
| | Quae provido occupare consulto decet. | |
| Edel. | Quae tibi pericla fingit hic laevus timor? | 905 |
| | Herosne cuiquam post fidem et veniam nocet? | |
| Adg. | Quo quisque maior, hoc magis laesus dolet.
Vindicta saepe non opinantem eruit. | |
| Edel. | O pugnam iniquam! disparem o animum nimis!
Qui laesus est, iniuriam venia tegit; | 910 |
| | Qui laesit ultiro, gratiae poenam expetit.
Virumne tolles, Roma cui cessit potens, | |
| | Atrociore nemini strata impetu
Summumque ab uno passa post Parthos malum? | |
| Adg. | Permisit hunc is annulum arbitrio meo; | 915 |
| | Vtar ego utroque: sentiat munus dator! | |
| Edel. | Servator o Germaniae, Armini optime!
Hanc summa merita gratiam tandem ferent? | |
| | Quos dura premeret servitus stratos humi, | |
| | Nisi vindicasses, sanguinem hi sitiunt tuum! | 920 |
| | Vos, o trophyea, rapta victoris manu! | |
| | Vos, ossa Vari! consciuum o pugnae nemus! | |
| | Edicite! hocne palmifer meruit pugil, | |
| | Vt liberati liberatorem necent? | |
| Adg. | Quem Teuto libertatis antiquae ducem | 925 |
| | Amabat olim, patrios ultum focos, | |
| | Hunc servitutis horret auctorem novae, | |

- Qui vincla rupit extera, ut tendat sua.
 Implevit ille laudibus mundi plagas;
 Sed falsa dum nunc gloria immemorem trahit,
 Vera quoque, nebulis implicita falsae, perit. 930
- Edel. Fratremne frater perimet? et lugens soror
 Caesi videbit sanguinem haerentem viro?
 Non sancta prosunt foedera aut dulcis thorus?
- Adg. Sibi quisque cura est prima: me servo pius. 935
- Edel. O astra! quo me distrahit pietas duplex?
 Vtrinque pater est: alter hanc vitam dedit,
 Servavit alter. laedere, heu, neutrum licet!
 Servare patrem utrumque mihi, superi, date!
- Adg. Nescisne morem patriae? ferrum hoc patris
 Sequi necesse est filium. tibi nil licet. 940
- Edel. O dura lex! o lacrymis dignus rigor!
 Ergone cuges fieri Edelboldum impium?
 Arminii opera luce vitali fruor;
 Arminii animam dextera haec quaeret furens? 945
- Pater Thuisco! tertius mihi tu parens:
 Credamne, te probare tam dirum nefas?
 Tu me videbas tela capientem modo,
 Arminius porrexit hoc frameae decus:
 Arminiine pectus hic mucro hauriat?
- Adg. I, sequere patrem hunc alterum! non es meus. 950
- Edel. Vtrique vitam debo. hanc frameam cape!
 Transverbera me, genitor, et serva pium!
- Adg. Audi parentem. teneo primores ducum,
 Quocunque hic ensis traxerit, promptos sequi.
 Ii paratam nunc quoque addicunt fidem.
 Vestigia ducum miles armatus premet.
- Dum Chattus omnis signa in Arminium movet,
 Tu solus Adgandestrium obnitens feri.
 Quaere in paterno corpore huic frameae locum, 955
- Primumque facinus sim tibi occumbens ego.
- Edel. Si cuncta spernis, moveat, ah, tua te salus!
 Impune sterni fulmineus heros nequit.
 Noli experiri vincere assuetam manum!
- Adg. Cadet ante pugnam: dum nihil metuit, perit. 960
- En, ipse: cedo, prodere ut possis patrem.
- Edel. Absit. tibi, pater, haereo, quanquam gemens.

Scena secunda

Arminius, Marobodus

- Arm. Fac, te quietem velle: sed Roma an volet?
 Omnis quietis nescia, aut pugnat manu
 Aut pugnat arte callida, semper nocet. 970
- Mar. Laudanda pietas, quae bono patriae cavet;
 Nihilne vero tu meae famae dabis?
 Quid fama sparget, si minax Romam eiero,
 Dum liberalis illa mihi sceptrum asserit?
- Arm. O liberalem, quae suum donat nihil! 975
 Opem tibi negat Martiam, verbo iuvat.
 Munifica dicit: ‘Armini, da, quae tenes.’
- Mar. Seu verba prosint seu gladius, aeque iuvat.
- Arm. Te, Marobodue, te iuvat; patriam taces?
 Commoda suorum magna mens tantum videt; 980
 Se negligit, se patriae sponte immolat.
 O sancta patria! magna virtutum parens!
 Quisquam impudentes Teuto Romanos amet,
 Qui mente vacuis Teutonem annumerant feris
 Demptaque forma et voce nos homines negant? 985
 Qui nostra tumido cuncta conculcant pede,
 Consilia, mores, dicta caelumque ac solum.
- Mar. Hunc ego dolorem testis his hausi auribus:
 Ipsi astra tangunt, barbari nos serpimus.
- Arm. Aliusne pecudes sterneret ferro furor, 990
 Quam quo cruentum Roma Teutonicum bibit?
 Siquando sors adversa nos ensi obtulit,
 ‘Insiste!’, clamat Caesar, ‘insiste, o cohors!
 Insiste, turma, caedibus! veniam nega!
 Nemo triumphum captus anteeat meum,
- Nemo supersit Teutonum! haec Romae est salus.’ 995
- Mar. Accendis animum: barbaros Itali sonos!
 Hanc ego nec hominis nec de homine vocem puto.
- Arm. Audisne, in ipsis quid rogent fanis deos?
 Vt mutua se strage Germanus necet 1000
 Vincatque Romae! stirps ut Aeneadum intuens
 His pascat oculos! semper ut discors sibi
 Pugnet Alemannus, caede fraterna madens!
- Mar. Immane votum! dira, sed vera audio.
 Praesens uterque didicimus Romae indolem, 1005
 Aemulam, inimicam, subdolam, flecti insciam.
 Iam debitus amor patriae in pectus reddit.

- Iam damno, quos amaveram, fraudum fabros.
Sciunt lacertos Teutonum experti Ausones,
Sciunt timentque; non eos Samnis vetus,
Non Poenus aut Hispaniae aut Gallus ruens
Nec Parthus ipse saepius conterruit. 1010
- Arm. Germania urget acrior regno Arsacis.
Nos Carbo, Scaurus, Cassius, nos Caepio,
Nos Manlius sensere, qui pugna edita
Tulere vel fugere vinclorum probrum. 1015
- Nos Consulares quinque simul exercitus
Disiecimus, devicimus, delevimus.
- Mar. Quid Lolliana vulnera et Vari hic pudor,
Vrbis supremo poene coniunctus malo? 1020
- Arm. Quis ambigat? timemur. hinc odia et doli.
- Mar. Augustus olim Arminii fassus metum est,
Mei Tiberius nuper: odit, cum favet.
- Arm. Cessamus autem? nec ferimur odio pari?
- Mar. Vir magne, vincis. cogis odisse improbos. 1025
- Amare cogis patriam et mentem hanc tuam.
Non iam cupitae Sueviae spes me movent:
Tu me, Thuisco! tuque me, Armini, trahis!
Iuro perennem nomini Alemanno fidem,
Eiuro Romam. Teuto sum; verbo sat est.
- Arm. Amice, salve! denuo sceptrum cape. 1030

Scena tertia

Arminius, Maroboduus, Serg. Varus

- S. Var. Arminio vocante, spes hilaris datur,
Instare celerem regiae causae exitum.
- Arm. Properare miles cogit, exosus moram.
Tria Marobodi verba rem totam secant; 1035
Dum tu vocaris, facile transacta omnia.
Quod Caesar optat, tribuere Arminio placet:
Marobodus usque pristino stabit gradu,
Cui Suevicas Vibilius reddet plagas.
Luco hoc in ipso protinus surgat thronus,
In quo recipiat iura Marbodus sua. 1040
- S. Var. Magnanima gens est Teuto: plus mores boni
Vos inter, alibi quam bonae leges valent.

- Arm. Vox una digno reddidit sceptrum viro;
Rem pactus unam, splendidum regnum dedi. 1045
- S. Var. Magna stipuleris, regna cum dominos novant.
- Arm. Magnum est, amicus quod mihi petenti annuit.
Fare, Marobode: foederis legem explica.
- Mar. Vestrum omne foedus atque amicitiam exui
Arminius a me voluit, ut regno fruar. 1050
- Ego, teste caelo, testibus Vari ossibus
Signisque vestris, teste te, Sergi fremens,
Vestrum omne foedus atque amicitiam exuo.
- S. Var. Haec pactio igitur, Caesare irriso, coit?
Qui regna per nos recipit, has grates refert, 1055
Vt ducat hostes, quos patronos duxerat.
- Mar. Renunciare placuit hospitio malo.
Grates tamen agit Caesari civis bonus,
Quod repulit a se bella conantem impia
Arminiumque nosse me docuit pium. 1060
- S. Var. Turbator hic Germaniae nunc te rapit,
Qui vincit hostes, praelii vacuos metu
Magisque doctos, castra quam pugnas sequi?
- Mar. Arminii quid possit herois manus,
Gens vestra sentit, Romaque fatetur dolens. 1065
- Arm. Dolor ut levetur neve male gratus vocer,
Grates et ampla munera exsolvo libens,
Memor veneni traditi, indicii memor.
Conspicua dona censuit Latium dari,
Cum rapta Crasso signa Parthorum favor, 1070
Rogante utroque Caesare, haud sponte obtulit.
En, fixa nostrae laeva monumenta ilici.
Vexilla et aquilas liberas cernat Tibris,
Fascesque Vari redditos natus ferat.
- Addimus Equestrem hunc annum, pridem arbori
Inter trophyea cetera appensum decus;
Arminio quem Roma donavit bona,
Remitto gratus, ornet ut templum novum
Imaginemque nobilem Concordiae. 1075
- S. Var. Haec ubi videbit Caesar et gesta audiet,
Habebit, unde laudet ac damnet simul. 1080

Scena quarta

Arminius, Maroboduus

- Arm. Rex, militarem testis an coetum petis?
Mar. Peto tibique praemium dignum auguror;
Nam tanta virtus quid nisi coronam petit?
Aut quis erit unquam dignior patriae throno?
Arm. Sententia mihi quae sedeat, uni hactenus
Audire nato licuit et Marco arbitro.
Nunc tertium te consciuum arcani volo.
Comitare, rex, ac disce narratu meo,
Quae vota tacito pectore Arminius fovet.

1085

1090

Actus quintus

Scena prima

Flavius, Serg. Varus, M. Varus

- S. Var. Hic, hic, paratus ubi Maroboduo thronus,
Audire, Flavi, te procul strepitu iuvat.
- M. Var. Dic, quaenam Erinnys subita commovit viros?
Civilia quis in arma momento impulit?
- Flav. Promptus comitiis agger a campo eminet, 1095
Exercitu stipatus hinc atque hinc procul.
Cheruscus, Hermundurus et Chatti ambiunt
Alacresque tela more Teutonico vibrant.
Triplex per agmen nomen Arminii sonat.
Apparet ipse, perfidus cum se dolus
Aperit repente et caecus erumpit furor. 1100
Inclamat Adgandestrius: ‘Chatti duces!
En, hostis! en, promissa qui vestra impleat!’
Nec plura. mox feruntur in pactum scelus,
Quoscunque dux corruperat; socios vocant
Arminiumque principes sterni iubent.
- M. Var. O barbare! o ingrate!
- S. Var. quid Chatti movent?
- Flav. Infame parricidium miles fugit,
Ducumque crimen deserunt cuncti ordines.
Frustra moveri signa latrones iubent, 1110
Frustra reprendunt. unus est castris sonus;
Chatti, ut Cherusci, voce sublata intonant:
‘Vivat Cheruscus! vivat Arminius diu!’
- M. Var. Non hic repressit turbo scintillas leves?
- Flav. Auxit furorem perditu Adgandestrii. 1115
Ira geminata, criminis vani pudor
Praecepse desperatio urgebat virum.
Corrupta per se capita in Arminium rapit,
Facto feroce impetu in fratrem ruunt.
Ille expedire telum ab armigeri manu,
Depellere ictus ictibus, frustra peti. 1120
Tollunt Cherusci signa pro caro duce.
Armor ego, primus irruo; auxilium alterum,
Tela Marobodus corripit et hosti imminet.
- M. Var. Spem medius inter trepidu, suspensum et metum.
- Flav. Trepidare virtus cognita Arminii vetat: 1125
Quem Roma bello vincere adnixa haud potest,

- Nec Roma nascens, sed domina rerum omnium;
 Eum rebellis frangere haud potuit globus.
 Nondum iuvandi veneram ad fratris latus,
 Cum victor Adgandestrio scutum eripit,
 Quod summa nobis gloriae et pugnae est caput. 1130
 M. Var. O nobilem victoriam! o iustos deos!
 Sed nunc ubi heros? aut quid Adgandestrius?
 Flav. Disiecta facile turba flagitii rea
 Et auctor ipse, victus et spolio carens,
 Diras precante exercitu, retulit pedem.
 At frater in tentorio vulnus leve
 Praebet liganti dexteræ; vobis ego,
 Peiora ne mens auguret, gesta affero. 1140
 M. Var. At ecce, frater! victor huic luco subit.

Scena secunda

Arminius, Flavius, Sigimerus, Varus uterque

- Arm. Scutum hoc amici perfidi accipiet libens
 Luci Thuisco praeses et civis boni
 Novum trophyæum, civis exuvias mali,
 Hostilia inter spolia respiciet probans. 1145
 M. Var. Salve, recepte ex inferis victor necis.
 S. Var. Bis prodit Adgandestrius summum ducem,
 Bis sibi paratam Arminius vitat necem;
 Et quod periculum Caesar avertit prius,
 Id fortis ipse nunc sua repulit manu. 1150
 Sig. Diu superstes patriæ vive, o pater!

Scena tertia

Iidem, Edelboldus

- Edel. Subire an oculos, victor, irati licet?
 Vllamne veniam poscere rebelli licet?
 S. Var. Tu quoque rebelles illico armasti manus?

Edel.	Facinus pudendum! non ego armavi manus; Ipse, ipse, quem lacesii, ferrum dedit. Funesta sors me compulit, ut in te uterer, Quo tu benignus hanc honestaras manum.	1155
Sig.	Peccare quae sors cogit?	
Edel.	at cogit pater, Cui iungere odia patriae mos me iubet. Peccavit ille, nil mea motus prece; Peccavit una natus, invitus licet. Vtrique veniam petere non audet pudor. Sed alteri, heros, alteri an spes est super?	1160
Arm.	Non ulla facti culpa Edelboldum premit. Laudo, quod aequum filii officium facis; Paterna studia non sequi, fuerit scelus. Invita si pugnavit in nos haec manus Amansque nostri, deboeo grates memor.	1165
Edel.	Ah, ne memento! repetere exilium iuvat Novaque probrum tegere et aeterna fuga. Sed si favoris ulla pars durat tui, Si semper animo te meum colui patrem Atque meliorem, si mihi curae salus Tua fuit hodie, cuncta si movi impiger, Vt mitigarem perfidi sensus viri: Huic, victor, huic da perfido veniam viro. Non ille dignus munere hoc pacis, scio; Nec dignus Edelboldus est, cui tanta des. Sed digna soror est, dignior virtus tua Et fama et alma patriae concordia.	1170
	Non obsecro mihi; fata quod cogent, feram. Pro patre supplex altero, imploro alterum; Pro patre, primum hoc dextera amplector genu.	1175
Arm.	Surge: pietate flector, ignosco patri. Vbi ille? scuti an gloria exutus latet?	1185
Edel.	Postquam repulsi robore invicto sumus, Diversa per vestigia institimus fugam. Extrema flexu castra circumiens lego, Donec propinquum te mihi offerret nemus. At ille forsitan iam sacerdotum in manu Indigna vincla sentit aut plagas miser. Quid, si furori publico et laeso tibi Iam destinatur victima? aut si iam luit?	1190
Arm.	Ne metue: lentus in sacerdotum choro Poenas reposcit ardor et recti tenax. Et nequa nostrae sit simultatis nota, En, reddo scuti gloriam et famam patri. Tu quaere latebram, perditio clypeum refer,	1195

	Vt filio debere se videat senex Recepta honoris publici iura illico.	1200
Edel.	O spe superior lenitas ...	
Arm.	laus haec tua est. Patri impetrasti, quidquid Arminius dedit. Nunc mihi comitia denique ordiri datur; Intersit Adgandestrius posito metu: Domino licet redire, dum scutum reddit.	1205

Scena quarta

Varus uterque

M. Var.	Frater, Alemannum cernere an coetum placet? Arminii me gloria optantem allicit.	
S. Var.	Favere perge - semigermane! - hostibus Et gloriam precare, quam Romae invident.	1210
M. Var.	Vbi magna virtus gloriam dignam obtinet, Amabo semper gloriam et plausum dabo.	
S. Var.	Concilia gentis exteris nusquam patent, Nec invocatos ingerere nosmet decet. Hic nectere moras paululum, frater, iuvat,	
	Dum Maroboduum cernere sedentem hoc throno Et, quis comitia solvat eventus, queo.	1215

Scena quinta

Iidem, Maroboduus, Edelboldus

Mar.	Huc, iuvenis, huc me sequere: mox patrem scies. Nostine telum hoc?	
Edel.	patris est. rex! quid rogas?	
Mar.	Fuit, fuit parentis; et parens fuit.	1220
Edel.	Heu, Marobodue! genitor, heu! genitor fuit?	
Mar.	Dextra haec scelestum stravit et spolium abstulit. Tibi, Thuisco, dedico hoc, ultus nefas!	
Edel.	Quae puniendi, rex, tibi potestas adest, Arminius ipse cum patri veniam annuit?	1225

Mar. Reus secundi criminis merito iacet.
 Vix obligato vulnere Arminius pedem
 Extulerat e tentorio, huc scutum ferens,
 Cum dirus Adgandestrius, victus modo,
 Haud sentientem sequitur a tergo ducem. 1230
 Iamque eminus vibrabat hanc hastam furens,
 Ignobili rapturus heroem nece,
 Nisi occupassem vulnus infandum manu.
 A me peremptus, sanguine rigavit solum.
 Pater o Thuisco! telum ut hoc tibi do libens, 1235
 Sic metuat omnis proditor vel sic cadat.
 Haec ipse nunc Arminius et coetus virum,
 Dum de corona iudicant, ex me audient.

Scena sexta

Edelboldus, Varus uterque

Edel. Sic invenis - o genitor infelix! - rogum?
 Conspicuus olim praeliis, clarus gradu, 1240
 In proditorum faece numeraris migrans!
 Ego dum salubri te patrocinio iuvo,
 Dum reparo felix perditum armorum decus,
 Dum te requiro gratulans, dum te voco,
 Heu, expiatum denuo instauras scelus
 Scelerisque sentis praemium infami exitu! 1245
 S. Var. O te sinistra redditum patri die!
 Edel. Hocne fuit - almi caelites! -, cur me domum
 Reduceretis, talia viderem ut miser?
 Patrem obligatum crimine, invisum suis
 Et fratricidam proditoremque impium? 1250
 M. Var. Dolenda sors, cum civis a cive obrutus,
 Abominatus gentibus, arenam premit.
 Edel. Nec adire saltem corpus et ferre oscula
 Suprema fas est, odia dum iuncta omnium
 Caesum execrantur meque misereri vetant. 1255
 Monui, rogavi, turpe dedocui nefas;
 Cur aure surda respuebantur preces?
 Cur te periclo potius et sceleri dabas?
 S. Var. At tu fidelis filii implesti locum,
 Tutatus Adgandestrium et placans ducem. 1260

Edel. Ideone scutum hoc reddidit per me deus,
 Vt cum parente funebres flammas alat?
 Sed non et hasta lugubrem ornabit pyram,
 Foedum trophaeum quercubus sacris data.
 Omnia videbunt secula parentis nefas!
 Narrabit omnis perfidam rabiem nepos!

1265

Scena septima

Arminius, Sigimerus, Edelboldus, Vari fratres

Arm. Hicne gemit Edelboldus? o iuvenis miser,
 Nisi patre melior, ipse sufficeret sibi!
 Edel. Victor benefice! munus, heu, summum perit!
 En, ille clypeus, pabulum infamis rogi!
 Arm. Abolebit ignis membra scutumque impii;
 Te iusta semper fama laudabit pium.
 Virtus dolorem temperet. genitor perit,
 Sed funere suo liberat patriam metu.
 Patriae memento, genitor ut menti excidat.
 Pater ego posthac, melior et fidus magis,
 Tua ne iuventus orba sit, curo impigre.
 Edel. Tu spes gementis, tu mihi iacenti salus.
 Arm. Ego mente tacita nunc Thuisconem precor,
 Meriti recentis hac die et veteris memor.
 Sig. Audite, Vari, patris affatum brevem,
 Post quem relicto Teutonum coetu exiit.
 Nondum aggere altus edito Arminius stetit,
 Nondum sacerdos iusserat silentia,
 Cum sponte cupidi comprimunt vocem viri
 Tandemque tales edidit genitor sonos:
 ‘Haec ipsa lux est, Teutones, caelo duce
 Qua Varus olim cum suis hic corruit.
 Gratus memento, civis; ego primus deum
 Adoro in ipso gratias luco ferens.’
 Nec elocutus plura, per medios abit.
 M. Var. Nisi gratus animus pulsus hoc orbe exulat,
 Regno carere Teuto an Arminium sinet?

1270

1275

1280

1285

1290

Scena octava

Iidem, Maroboduus, Flavius, Vibilius

Flav.	Fraterna crescat gloria et culmen petat!	1295
Mar.	Corona tandem cingat heroum caput, Suadente me quam copiae addicunt tibi.	
Flav.	Marobodus ipse, cum reliquisti aggerem, Te consecutus, auctor ex alto eloquens Instat maniplis, graviter hortatur duces, Tuis coronam regiam meritis parent; Meminisse lucis huius atque huius loci Solumque per te sospitis patriae iubet.	1300
Mar.	Sceptri pudebat mei, dum tu cares, Virtute tantus, tantus armorum impetu. Regnum meretur, qui potest regnum dare.	1305
Flav.	Haec ille memorat; plausus hortantem excipit, Frameisque frameas gratulans miles quatit. Regem salutant, capere te sceptrum iubent.	
Vib.	Insignia huius nominis tradens mihi Pararat Adgandestrius; iussu ducum Depromo cultum regium, iussus fero.	1310
Mar.	Mihi paratus, serviat tibi nunc thronus. Conscende, rex; corona, Marobodi manu Imposita, tandem verticem decoret sacrum.	1315
Arm.	O grata meritis patria! quod unum potes, Augmentum honoris publicum Arminio adicis.	
Sig.	Bis gloriosam primus, o genitor, diem Tibi grator, olim laurea, sceptro modo. Tibi conscient victoriae quondam locus, Victoriarum praemium summum videt.	1320
	Verum haec supremo ut gaudio mentem impleant, Arcana faciunt verba, quae Marco et mihi Comissa solis, nunc suam poscunt fidem.	
Arm.	Promissa, nate, fidus implebo palam. Spectabit ipsa gloriam hanc Roma in suis.	1325
S. Var.	Non invidemus sceptra, quae multis damus.	
M. Var.	Sed digniori Roma nulli unquam dedit, Quam Teutoburgae lucus augusta hac die.	
Mar.	Age, rex, morantem te thronus dudum vocat.	1330
Arm.	Exercitum ne longior lasset mora, Non scando solium: sisto me gratum meis.	
	<i>Haec dicens, extremam theatri oram accedit.</i>	

Mar.	Insignia cape, munus ut videant suum. Cedat coronae iam galea victrix locum.	
Arm.	Accipio. sceptrum iungite coronae novum.	1335
Vib.	Habe, quod optas: praebeo sceptrum novum. Paravit Adgandestrius, at ipse exequor.	
	<i>Intro abeunti Arminio sceptrum Vibilius porrigit, simul abditum in eo pugionem educit eoque Arminium intus confudit.</i>	
	Abi, tyranne! tale te sceptrum decet!	
Flav.	Proditio, superi!	
Mar.	sica sub sceptro latens Regem, heu, trucidat!	
Flav.	<i>intus.</i> frater! heu, nihil est spei!	1340
	Excipite solio languidum.	
Vib.	sic, sic thronum, Sed libera Germania, per me occupa!	
Arm.	Quod voluit Adgandestrius, fecit gener.	
Vib.	In gente natus libera, regem haud fero. Servilia alii sponte sibi vincla eligant;	
	Mihi dextra ferrum dum regit et animus manum, Nullus Eques Italus liberos cogat viros.	1345
Flav.	O si monentem Flavium audisses, miser! Stares, iuvares patriam, regeres tuos.	
	Ambitio nunc inanis ... indignam, heu, necem!	
Arm.	Ambitio qualis pectus Arminii egerit, Vos edocete, consci!	1350
M. Var.	moestus loquar.	
Sig.	Audi, Vibili latro, quam frustra furas!	
M. Var.	Audite magni grande consilium viri! Regale nomen ille, delatum sibi,	
	Nunc exuisset protinus et insignia, Exercitu spectante, posuisset pius.	1355
	Vnam hanc petebat gloriam, ut summo gradu Se posset abdicare; sic cives amat.	
Sig.	Testis ego destinata cum Marco audii.	1360
Mar.	Testis ego vobis certior. mihi dum refert, Quae sic parabat, nobilem hunc animum stupens,	
	Fassus minorem me quoque, adamavi illico; Et amabo post fata quoque et heroem colam.	
	Rex magne, regno maior, heu, cur sic abis?	1365
Arm.	Errore lapsus non gravi, poenam luo.	
Mar.	Ego ultus Adgandestrium, iamiam alteras Tibi videnti iustus inferias dabo.	
Vib.	Rex, cui minaris? gaudeo liber mori. Mors haec tibi utinam redderet vitam, socer!	1370
	Ah, cur latebat mens tua? heu! patriae studens,	

	Interimo patrem patriae! errorem impium! Sed cui superstitem esse me prohibet dolor, Ignosce genero! ignosce morituro statim! Ignosce, rex! nam rege sub tali libens Et vivere sciens poteram et ignarus mori. Age, sica! parricidii mecum rea! Age, plecte facinus! meque plectendo expia!	1375
Arm.	Quid agis? tenete dexteram.	
Mar.	dignus iacet.	
Edel.	O destinata sanguini illustri dies! Quot lacrymas tot caedibus procerum moves? Misero parentem utrumque lux eadem rapit.	1380
Sig.	At mihi, mihi unum! patriae qui idem fuit! Dilecte genitor! ah, vale! aeternum vale!	
Arm.	Memento, nate, patriam ut gratis colas. Ambitio, poscens praemium, viden', ut nocet?	1385
Sig.	Iustum - ah! - petebas; vi procul, nullo dolo Et redditurus; sic quoque ambitio opprimit!	
M. Var.	Propinqua mors est. grandis Armini, vale!	
Arm.	Claude morientis lumina, o fili pie!	1390
Sig.	Heu triste munus!	
Mar.	solus, o Sergi, haud gemis? Sic, sic videre Teutones Auson cupid. At iuncta si vis Teutonum ferrum vibret, Vae - Roma! - celso fastui et caecis dolis!	

<Finis>

Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt die Ausgabe von 1758 mit dem vollständigen Titel „ARMINII CORONA“ (vor dem 1. Akt jedoch nur „Arminius“); deren zahlreichen Anmerkungen mit Hinweisen auf antike Quellen sind im Folgenden gesammelt abgedruckt. Das Mannheimer Exemplar ist über das MATEO-Projekt der dortigen Universität im Internet einsehbar (www.uni-mannheim.de/mateo/camena/weit1/te02.html); die htm-Fassung wurde für diese Ausgabe benutzt.

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktionszeichen wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht; hier dokumentiert nur für den Tragödientext, nicht auch für das Prosa-Argumentum und die Anmerkungen. Stets gedruckt wurde *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *causa* für *caussa*, belassen aber *Marobodus* neben mehrheitlich *Maroboduu*. Groß geschrieben wurde: zu 1018 *Consulares*; klein dagegen: 18 *comitia*, 32 *superos*, 172 *deae*, 379 *superis*, 441 *deus*, 1095 *comitiis*, 1204 *comitia*. Beibehalten wie im Original wurde als Zeichen interessanter Gewichtung *rex* neben *Legatus* im Darstellerverzeichnis.

- 381 *quid si* statt *quidsi*
- 437 *ipsae* statt *ipse*
- 1013 *acrior* (cf. Tac. Germ. 37) statt *acior*
- 1062 *vacuos* statt *vacuas*

Die Formulierung 1061ff. entspricht 654ff. Dort ist der Bezug 657 mit *vacuas aquilas* eindeutig. 1062 ist entsprechend auf *hostes* zu beziehen und *vacuos* zu erwarten (vgl. auch 1063 *magisque doctos*). Doch es ist durchaus wahrscheinlich, dass im Text an beiden Stellen tatsächlich ohne Druckfehler *vacuas* verwendet wurde und der Halbvers einfach zu flüchtig übernommen ist.

- ‘Komma’ gestrichen vor *et, atque, -que, neque, nec, aut, vel, -ve, an, quam* u.ä.: 5, 10, 11, 13, 17, 18, 18, 19, 25, 29, 43, 58, 59, 64, 66, 71, 76, 79, 83, 87, 88, 89, 104, 106, 111, 114, 118, 129, 130, 132, 133, 134, 135, 135, 141, 145, 146, 155, 156, 161, 169, 197, 214, 219, 231, 237, 239, 253, 259, 261, 266, 276, 278, 282, 286, 288, 291, 301, 315, 319, 331, 332, 351, 357, 369, 381, 382, 401, 405, 405, 427, 432, 438, 438, 443, 444, 461, 463, 468, 468, 469, 469, 473, 477, 508, 520, 521, 526, 527, 531, 533, 535, 545, 547, 550, 551, 554, 554, 556, 560, 568, 573, 588, 589, 592, 599, 606, 613, 616, 624, 627, 644, 653, 656, 665, 677, 684, 691, 694, 708, 719, 721, 725, 739, 740, 746, 755, 760, 771, 784, 789, 798, 846, 857, 878, 892, 893, 894, 896, 913, 969, 978, 984, 987, 987, 998, 1000, 1010, 1011, 1011, 1011, 1019, 1021, 1026, 1049, 1051, 1053, 1059, 1062, 1063, 1066, 1078, 1080, 1083, 1087, 1097, 1097, 1101, 1105, 1116, 1124, 1132, 1135, 1136, 1143, 1168, 1170, 1173, 1180, 1181, 1192, 1193, 1196, 1198, 1212, 1216, 1222, 1236, 1237, 1245, 1250, 1251, 1254, 1256, 1261, 1277, 1286, 1295, 1302, 1302, n1337, 1346, 1356, 1364, 1376, 1394
- ‘Komma’ gestrichen nach: 56 *paucosque*, 158 *iniquum*, 162 *Patres*, 218 *levis*, 268 *Varus*, 301 *nunquam*, 439 *obviae*, 581 *homines*, 623 *commodis*, 642 *est*, 674 *gentis*, 939 *utrumque*, 1015 *Manlius*, 1160 *odia*, 1193 *tibi*, 1198 *famam*, 1209 *perge*, 1226 *criminis*, 1239 *invenis*, 1248 *fuit*
- ‘Komma’ ergänzt: 25, 46, 50 *fare*, 70, 71 *en*, 72 *spectacula*, 72 *heu*, 73 *ah*, 156, 195, 236, 268 *venit*, 268 *ecce*, 276, 293 *ah*, 296 *dic*, 296 *doce*, 349 *gravis*, 381, 385, 394 *ut*, 401, 447, 465 *heu*, 479, 480, 480, 571, 576 *te*, 612, 652 *sed*, 686 *dum*, 733 *fac*, 789 *ac*, 813, 818, 821 *ah*, 824 *heu*, 855, 855, 938, 938, 939, 939, 953 *me*, 962 *moveat*, 962 *ah*, 966 *en*, 993 *insiste!*, 1031, 1072, 1103, 1103, 1141, 1170, 1193, 1198, 1217 *et*, 1221, 1221, 1245, 1248, 1270, 1270, 1271 *en*, 1340, 1340, 1340, 1350, 1350, 1365 *heu*, 1371 *ah*, 1384, 1386 *viden*’
- ‘Komma’ statt ‘Punkt’: 47, 267, 534, 862, 868, 1373
- ‘Komma’ statt ‘Doppelpunkt’: 29, 39, 82 *hosticam*, 168 *reum*, 171, 177, 284 *trahi*, 286, 316, 351, 362 *cupio*, 403, 435, 455, 488, 553, 593, 626 *ciens*, 652 *prior*, 690, 741 *dederit*, 823, 831, 835, 852, 920, 926 *focos*, 948, 970, 973 *sparget*, 989, 993 *Caesar*, 995, 1029, 1118, 1128 *omnium*, 1147, 1185, 1199 *latebram*, 1228 *ferens*, 1232, 1244 *voco*, 1274, 1279, 1285, 1312, 1337
- ‘Komma’ statt ‘Strichpunkt’: 105, 473, 474, 475, 476, 548, 549, 550 *inscia*, 580 *domum*, 581 *putant*, 666, 865 *patre*, 866 *premis*, 937, 1047, 1172, 1174, 1175 *hodie*
- ‘Komma’ statt ‘Ausrufezeichen’: 376 *furis*, 470 *optime*
- ‘Komma’ statt ‘Klammer’: 731, 731
- ‘Punkt’ ergänzt: 832 *decipit*, 882

‘Punkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 10, 15, 30, 33, 104, 203, 229, 265, 274, 334, 478, 511, 565, 884,
967 *absit*, 1047, 1104, 1111, 1122, 1163, 1192, 1344
‘Punkt’ statt ‘Komma’: 93, 687, 695, 754

‘Strichpunkt’ gestrichen: 473 *civis*, 636 *tamen*, 1387 *dolo*
‘Strichpunkt’ statt ‘Punkt’: 228

‘Strichpunkt’ statt ‘Doppelpunkt’: 9, 13, 19, 22, 37, 43, 78, 92, 102, 125, 170, 231, 251, 257,
275, 329, 332, 350, 388, 411, 451, 464, 479, 490, 494, 508, 513, 530, 556, 560, 567, 621,
639, 657, 670, 685, 730, 744, 776, 778, 783, 795, 808, 829, 845, 852, 883, 895, 910, 915,
929, 944, 971, 979, 980, 1010, 1030, 1035, 1044, 1076, 1083, 1105, 1123, 1139, 1148, 1155,
1161, 1166, 1178, 1182, 1183, 1204, 1220, 1257, 1272, 1290, 1301, 1307, 1311, 1345, 1359,
1363, 1388

‘Strichpunkt’ statt ‘Komma’: 159

‘Doppelpunkt’ gestrichen: 270 *iter*, 371 *mihi*, 1209 *hostibus*
‘Doppelpunkt’ statt ‘Strichpunkt’: 303
‘Doppelpunkt’ statt ‘Komma’: 761

‘Ausrufezeichen’ gestrichen: 381 *fide*
‘Ausrufezeichen’ statt ‘Punkt’: 471

‘Anführungszeichen’ ergänzt: 977, 993ff., 1102f., 1113, 1288ff.
‘Anführungszeichen’ statt Kursivdruck: 461, 463f.

‘Gedankenstriche’ ergänzt: 1209, 1239, 1248, 1387, 1394
‘Gedankenstrich’ statt ‘Komma’: 1394 *vae*

Akt 1

- 29 Meminit Tacitus de *Teutoburgensi saltu, in quo reliquiae Vari legionumque insepultaे.* Annal. I. 1 c. 60, iuxta divisionem diligentissimi Berneggeri, Edit. Argentorat. 1664, quam in hac Tragoedia ubique sequor.
- 33 *Arminius, abscedentibus Romanis et pulso Maroboduo, regnum affectans.* Tacitus Annal. I. 2 c. 88.
- 56 Dum Germani praedam diripiunt, multos e Romanorum validissimis noctis beneficio evasisse, narrat Dio Cassius I. 56.
- 88 Narrat Tacitus, *Adgandestri principis Chattorum lectas in senatu literas, quibus mortem Arminii promittebat, si patrandae neci venenum mitteretur.* Tacitus, Annal. I. 2 c. 88.
- 91 *Responsumque esse, non fraude neque occultis, sed palam et armatum Populum Romanum hostes suos ulcisci.* Idem ibid.
- 136 *Genere nobilis, manu fortis, sensu celer, ultra barbarum promptus ingenio, nomine Arminius, Sigimeri, principis gentis eius, filius.* Vell. Patrc. I. 2.
- 145 *Assiduus militiae nostrae prioris comes.* Idem ibid.
- 147 *Iam civitatis Romanae ius equestremque consecutus gradum.* Idem ibid. de Arminio.
- 158 *Qua gloria aequabat se Tiberius priscis imperatoribus, qui venenum in Pyrrhum regem veterant prodiderantque.* Tacit. Annal. I. 2 c. 88. *Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a veneno caveret, praedixerunt.* Liv. I. 39. *Cum ... polliceretur se regi venenum daturum, cum indicio ad regem remissus est.* Liv. Epit. I. 13. Idem narrat Plutarch. in Pyrrho et Florus I. 1 c. 18.
- 172 *Dedicavit et Concordiae aedem.* Sueton. in Tiberio, c. 20.
- 242 De Arminii filio diu apud Romanos captivo Tacitus, Annal. I. 1 c. 58.
- 259 Vxor etiam Arminii capta, teste Tacito I. 1 Annal. c. 57. *neque victa in lacrymas neque voce supplex.* Idem ibid.
- 265 *Cum coniux, cum filius eius servitium adhuc tolerent.* Ita de Arminio Maroboduus, ante praelium, apud Tacitum, Annal. I. 2 c. 46.
- 272 *Filius (Arminii) hostili in solo adultus.* Tacitus. Annal I. 11 c. 16.
- 290 *Liberator haud dubie Germaniae.* Idem, Annal. I. 2 c. 88.

Akt 2

- 426 *Nihil autem, neque publicae neque privatae rei, nisi armati agunt. ... vel principum aliquis vel pater vel propinquus scuto frameaque iuvenem ornant. haec apud illos toga, hic primus iuventae honos.* Tacit. de Morib. German. c. 13. De framea, proprio Germanorum telo, haec habet: *hastas vel ipsorum vocabulo frameas gerunt, angusto et brevi ferro.* De Morib. Germ. c. 6.
- 438 *Ad matres, ad coniuges vulnera ferunt, nec illae numerare aut exsugere plagas pavent.* Tac. de Morib. Germ. c. 7.
- 439 *Memoriae proditur, quasdam acies inclinatas iam et labantes a feminis restitutas, constantia precum.* Tac. eiusd. I. c. 8.
- 441 *Nec cohibere parietibus deos ... ex magnitudine caelestium arbitrantur. lucos ac nemora consecrant.* Idem eiusdem libri c. 9.
- 484 Inter Chattos *fortissimus quisque ferreum insuper annulum (ignominiosum id genti) velut vinculum gestat, donec se caede hostis absolvat.* Tacit. de Morib. German. c. 31.
- 497 *Boni aequique Cherusci proprio sibique peculiari elogio dicebantur.* Tacit. de Morib. German. c. 36.
- 509 *Flavius, insignis fide, in Romanos videlicet.* Tacit. Annal. I. 2 c. 9.
- 514 Torquem et coronam, Flavio ab Romanis datas, irridet Arminius apud Tacitum, Annal. I. 2 c. 10.
- 519 *Vt qui Romanis in castris ductor popularium meruisset.* Idem ibid. de Arminio.
- 533 *Exploratoris Flavii exosa est apud Germanos memoria, teste Tacito, Annal. I. 11 c. 16. Non alium infensius arma contra patriam ac deos penates ... exercuisse.* Ibidem.
- 541 *Germani, laeta bello gens.* Tacitus, Hist. I. 4 c. 16.
- 544 *Varus perditas res eodem, quo Cannensem diem Paulus, et fato est et animo secutus.* Florus I. 4 c. 12.
- 551 *Vari Quintili libidinem ac superbiam haud secus quam saevitiam odisse cooperant.* Idem ibid. *Quintilius Varus ... mira superbia atque avaritia in subiectos se agens.* Orosius I. 6. Similia habet Dio Cass. I. 56.
- 560 *Caesi hostes (Germani, in campo Idistaviso ad Visurgim) decem millia passuum cada veribus atque armis opplevere; repertis inter spolia eorum catenis, quas in Romanos, ut non dubio eventu, portaverant.* Tacit. Annal. I. 2 c. 18.
- 569 *Gloriatur Arminius: ad postremum electis Romanis, satis probatum, penes utros summa belli fuerit.* Tacit. Annal. I. 2 c. 45.

- 586 *Ille (Arminius ad Flavium) fas patriae, libertatem avitam, penetrales Germaniae deos, matrem precum sociam; ne propinquorum et affinium, denique gentis sua desertor et proditor quam imperator esse mallet.* Tacitus, Annal. I. 2 c. 10.
- 628 *Catualda valida manu fines Marcomannorum ingreditur corruptisque primoribus ad societatem, irrumpit regiam.* Tacit. Annal. I. 2 c. 62.
- 630 *Idem Catualdae casus. ... pulsus haud multo post Hermundurorum opibus et Vibilio duce.* Tacit. Annal. I. 2 c. 62.
- 638 *Ita certe Marobodus scripsit Tiberio, non ut profugus aut supplex, sed ex memoria prioris fortunae.* Idem ibid.
- 654 *Hoc ex Romanorum sensu, quibus Arminius turbator Germaniae, apud Tacit. Annal. I. 1 c. 55.*
- 656 *Varus Quintilius vir ingenio mitis, moribus quietus.* Vell. Patrc. I. 2. *Otio magis castrorum quam bellicae assuetus militiae.* Idem ibid.
- 657 *Marobodus obtrectans Arminii laudibus: quoniam tres vacuas legiones ... deceperit.* Tacit. Annal. I. 2 c. 46.
- 658 *Marobodus gloriatur, se duodecim legionibus petitum duce Tiberio.* Tacit. Annal. I. 2 c. 46.
- 661 *Cum Varo cecidit exercitus omnium fortissimus, disciplina manu experientiaque bellorum inter Romanos milites princeps.* Vell. Patrc. I. 2. *Is autem ad internacionem trucidatus est.* Idem ibid.
- 665 *De Marobodui receptu* Tacitus, Annal. I. 2 c. 46.
- 676 *Tiberii mos, consiliis et astu res externas moliri, arma procul habere.* Tacitus, Annal. I. 6 c. 32. *De Germanis nominatim*, Annal. I. 2 c. 26.

Akt 3

- 699 *Arminius Marobodum ante praelium appellabat proditorem patriae, satellitem Caesaris, haud minus infensis animis exturbandum, quam Varum Quintilium interficerint.* Tacit. Annal. I. 2 c. 45.
- 709 *Hominem (Segestem) Germanos nunquam satis excusaturos, quod inter Albim et Rhenum virgas et secures et togam viderint.* Arminii verba apud Tacitum, Annal. I. 1 c. 59.
- 729 *Est videre apud illos argentea vasa, legatis et principibus eorum muneri data, non in alia vilitate, quam quae humo finguntur.* Tacit. de Morib. German. c. 5.
- 782 *Marobodum regis nomen invisum apud populares; Arminium pro libertate bellantem favor habebat.* Tacit. Annal. I. 2 c. 44.
- 875 *Adeo namque consternatum ferunt, ut ... caput interdum foribus illideret, vociferans: Quintili Vare, legiones redde!* Sueton. in August. c. 23. Narrat et Orosius, I. 6.
- 876 *Diemque cladis quotannis moestum habuerit ac lugubrem.* Suet. eodem loco.
- 879 *De reddenda republ. bis cogitavit.* Suet. in August. c. 28.
- 882 *Tiberius, cum ad imperium vocaretur, adhortantes amicos increpans, ut ignaros, quanta bellua esset imperium,* Suet. in Tiber. c. 24. *Tandem quasi coactus et querens miseram et onerosam iniungi sibi servitatem, recepit imperium; nec tamen aliter quam ut depositum se quandoque spem faceret.* Idem ibid.
- 886 *Sed reputans ... illam (rem publ.) plurium arbitrio temere committi, in retinenda perseveravit.* Sueton. in Augusto, c. 28.

Akt 4

- 914 *Atrocissimae calamitatis, qua nulla, post Crassi in Parthis damnum, in externis gentibus gravior Romanis fuit.* Vell. Patrc. I. 2, de clade Variana loquens.
- 919 *Caeso Quintilio Varo, pulsam e Germania servitatem.* Tacit. Histor. I. 4 c. 16.
- 921 *Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae diis patriis suspenderit, Arminius nimirum.* Tacit. Annal. I. 1 c. 59.
- 925 *Arminium potius gloriae ac libertatis ... ducem.* Idem ibidem.
- 940 *Suscipere tam inimicitias, seu patris seu propinqui, quam amicitias necesse est.* Tacitus, I. de Morib. German. c. 21.
- 965 *Arminius, ante Vari cladem, haud imprudenter speculatus, neminem celerius opprimi, quam qui nihil timeret.* Vell. Patrc. I. 2.
- 978 *Maroboduo undique deserto, non aliud subsidium quam misericordia Caesaris fuit.* Tacit. Annal. I. 2 c. 63.
- 985 *Varus Germanos concepit esse homines, qui nihil, praeter vocem membraque, haberent hominum.* Vell. Patrc. I. 2.
- 987 *Tacitus Germaniam e suorum sensu appellat informem terris, asperam caelo, tristem cultu aspectuque, nisi si patria sit.* L. de Morib. German. c. 2.
- 991 *Germanos Romanus exercitus semper more pecudum trucidaverat.* Vell. Patrc. I. 2.
- 994 *Germanicus Caesar ad suos in praelio: insisterent caedibus: nil opus captivis, solam internacionem gentis finem bello fore.* Tacit. Annal. I. 2 c. 21.

- 1003 Cum Romani suis oculis viderent crudele Germanorum inter se praelium, quo Bructeri excisi sunt, ait Tacitus: *super LX millia non armis telisque Romanis, sed, quod magnificientius est, oblectationi oculisque ceciderunt. maneat, quaeso, duretque gentibus ... odium sui: quando urgentibus imperii fatis nihil iam praestare fortuna maius potest quam hostium discordiam.* Tacit. de Morib. Germ. c. 33.
- 1012 *Non Samnis, non Poeni, non Hispaniae Galliaeve, ne Parthi quidem saepius admonueret.* Idem eiusdem libri c. 37.
- 1013 *Regno Arsacis acrior est Germanorum libertas.* Idem ibid.
- 1016 *Germani Carbone et Cassio et Scauro Aurelio et Servilio Caepione, M. quoque Manlio fusis vel captis.* Idem ibidem.
- 1018 *Quinque simul Consulares exercitus Populo Romano ... abstulerunt.* Idem ibidem.
- 1020 Augustus graves ignominias cladesque duas omnino nec alibi quam in Germania accepit, *Lolianam et Varianam ... Varianam poene exitiabilem.* Sueton. in Aug. c. 23.
- 1022 Augustus, post Vari casum, Galliae et ipsi Romae timebat. Dio Cassius l. 56.
- 1023 *Exstat oratio, qua magnitudinem viri (Marobodui), violentiam subiectarum ei gentium et, quam propinquus Italiae hostis, suaque in destruendo eo consilia extulit.* Ita de Tiberio Tacitus, Annal. l. 2 c. 63.
- 1043 *Plusque ibi boni mores valent, quam alibi bonaes Leges.* Tacit. de Morib. German. c. 19.
- 1063 Marobodui [Original: Marabodui] verba in Arminium, supra Act. II Sc. 4.
- 1065 Serg. Vari dictum de Arminio, supra Act. II Sc. 4.
- 1071 *Parthi quoque ... signa militaria, quae M. Crasso et M. Antonio ademerant, reposcenti reddiderunt.* Sueton. in Augusto, c. 21. *Recepit et signa, quae M. Crasso ademerant Parthi.* Idem in Tiber. c. 9.
- 1073 *Signa et aquilas duas adhuc barbari possident.* Florus l. 4 c. 12. *Cerni adhuc Germanorum in lucis signa Romana, quae diis patriis suspenderit (Arminius).* Tacitus, Annal. l. 1 c. 59.
- 1074 Varum fuisse Cousulem, argumento est illud Flori. *ipsius quoque Consulis corpus ... effossum.* l. 4 c. 12.
- 1077 *Equestremque consecutus gradum.* De Arminio Vell. Paterc. l. 2.
- 1079 *Dedicavit et Concordiae aedem.* Sueton. in Tiberio, c. 20.

Akt 5

- 1119 Testatur Tacitus, armis petitum Arminium, cum regnum peteret. *Regnum affectans, libertatem popularium adversam habuit; petitusque armis etc.* Annal. l. 2 c. 88.
- 1127 *Praeliis ambiguus, bello non victus.* Idem ibid. de Arminio cum Romanis pugnante.
- 1128 *Qui non primordia Populi Romani, sicut alii reges ducesque, sed florentissimum imperium lacessierit.* Idem ibid.
- 1132 *Scutum reliquisse praecipuum flagitium.* Tacitus, l. de Morib. German. c. 6.
- 1191 *Neque animadvertere neque vincire neque verberare quidem nisi sacerdotibus permisum.* Tacit. de Morib. German. c. 7.
- 1201 *Scutum reliquisse praecipuum flagitium. nec aut sacris adesse aut concilium inire ignominioso fas.* Tacitus, de Morib. Germ. c. 6.
- 1239 *Id solum observatur, ut corpora clarorum virorum certis lignis clementur. ... sua cuique arma, quorundam igni et equus adiicitur.* Tacit. de Morib. German. c. 27.
- 1285 In coetibus publicis silentium per sacerdotes ... imperatur. Tacit. l. de Morib. Germ. c. 11.
- 1303 *Arminius liberator haud dubie Germaniae.* Tacit. Annal l. 2 c. 88.
- 1308 *Si displicuit sententia, fremitu aspernantur; sin placuit, frameas concutunt.* Idem, de Morib. German. c. 11.
- 1343 *Arminius dolo propinquorum cecidit.* Tacit. Annal. l. 2 c. 88.
- 1347 Vibilii verba, supra Act. I Sc. 8.